FRANCISCI ANTONII VITALE

IN

BINAS VETERES INSCRIPTIONES

L. AURELII COMMODI IMPERATORIS

ÆTATE POSITAS

ROMÆ RECENS DETECTAS

DISSERTATIO

QUA GLADIATORUM MATERIA

FERE TOTA ENUCLEATUR.

ROMÆ MDCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA KOMAREK.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLÆ.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

ERUDITISSIMO, ET CLARISSIMO VIRO

R. P.

D. PAULO MARIÆ PACIAUDIO

CLER. REG. PRESBYTERO
SACRI EQUESTRIS ORDINIS HIEROSOLYMITANI HISTORICO
REGIÆ BIBLIOTHECÆ PARMENSIS PRÆFECTO &c.

AUCTOR.

NEmo erit unquam, Vir eruditissime, qui vocare in dubium poterit, ea, quæ in dies oculis ſubjiciuntur, Romanarum Antiquitatum monumenta, tanta eſſe obumbrata caligine, ut fieri profectò nequeat, quin ſæpiſſimè

Digitized by Google

in exponendis litteratis præſertim lapidibus difficultates exoriantur, quæ, vel oculorum aciem effugientes, vel hominum quandoque captum evincentes, id agunt, ut aſſequi haud facilè ſit eruditioribus etiam quibuſque, quid in hoc certò tenendum, ſtatuendumque videatur. Verum enim verò ſibi quiſque blandiri haud facilè poteſt, ſemper, & omninò, hujuſmodi in rebus nullius in magiſtri verba jurandum, judiciumque ſuum liberum, ac ſolutum proferre, cuilibet tributum eſſe. Nam clariſſimorum virorum auctoritati, quorum præcipue nomen pro ratione ſtare aſſolet, nonnihil deferendum eſſe, prudentiores omnes arbitrantur. Qua de re, cum nonnulli, quos inter accenſendus eſt Auctor *Commentarii de Gladiatorum Collegio*, occaſione interpretandi unum & alterum lapidem, è priſcæ Romæ ruderibus erutum, & ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Alexandro Albani (qui rei antiquariæ præ cæteris juvandæ penè natus, ac reſervatus videtur),

ad

ad elegantiſſimam Albanam Villam exornandam comparatum, ut Lapidem illum, de quo *Muratorius* loquitur in ſuo *Inſcriptionum Theſauro num.* 3. *pag.* 511. ad eam, de Collegio Gladiatorum, divinationem comprobandam, tanquam validiſſimum teſtimonium traherent, clariſſimi ejuſdem viri adnotationem detrectare, penituſque convellere ſtuduerint; non modicæ mihi admirationis occaſionem præſtiterunt, præſtabuntque cæteris, quibus vel ſaltem *Muratorii* præſtantiſſimum nomen innoteſcit. Ita ut haud ægrè a quocumque impetrabo, omnem induſtriam conferendam profectò eſſe, ut, ſolidè everſis, quæ objiciuntur argumentis, illius ſententia vindicetur; utque unà, è re nata pateſiet, in exponendis litteratis hiſce lapidibus rem ſane omnem adeò confectam non eſſe, ut altera adhuc manus adhibenda non ſit: complures enim veroſimiles conjecturas, quibus opus erat; ut ornati, illuſtratique in publico verſarentur, utique produxiſſet doctiſſimus cætero-

teroquin Commentarii Auctor, ſi totus in *Muratorii* confutanda ſententia non fuiſſet. Hæc omnia igitur, quorum primum, ac præcipuum eſt, ſumma erga *Muratorium* diù ſpectatam, & in omne ævum ſpectandam, doctrinam, exiſtimatio, renitentem traxerunt genium, ut ſpartam hanc arriperem, eodemque tempore perantiqua hujuſmodi Monumenta ſuaderer ulteriùs exornare. Nec me demum detinent otioſorum garritus, ſivè riſus, quibus, meipſum ſacrorum ſtudio vacare, idonea forſan videatur ratio, ut profanis hiſce rebus abſtinendum eſſe omninò affirment; nam iiſdem cum rei antiquariæ peritiſſimis viris facile mihi erit reponere, quod cortice veſcuntur, & vitrum lambunt, qui deſtituuntur luce antiquitatum Romanarum, quibus non modo Hiſtoria, ſed etiam illius confines, & cum ea connexæ ſcientiæ, cultiores, fidæ, & utiles redduntur, & ſingulæ ferè doctrinæ Juris Publici, & Privati, Eccleſiaſtici, & Civilis, colluſtrantur. Habes jam VIR

AMPLIS-

Amplissime, quæ ad probandam, tuendamque hujuſce mei laboris occaſionem pertinent. Reliquum eſt, ut qua de cauſa ſub tuo in lucem prodire nomine, penſi habui, exponam. Nec mihi magnopere agèndum eſt. Nam, quæ duæ res in quærendis Patronis, qui libros edendos tueantur, à pleriſque Auctoribus ſpectari ſolent, ſumma ſcilicet doctrinarum cognitio, & probata ſatis in Republica litteraria auctoritas, eæ in Te ampliſſimo, ornatiſsimoque viro ita conveniunt, ut nulli dubium ſit, quin præclariſsimum Nomen tuum huic meo labori præfixum, non modo invidiam omnem avertere, verum & pretium, quod ſua ſponte non habet, eidem addere, tutiſsime poſſit. Utinam, & gravis non eſſem ſpectatiſſimæ modeſtiæ tuæ, hic ſane recenſerem laudabilem illam Vitæ tuæ ab ineunte ætate ſuſceptam rationem; cum primum nempe Clericorum Regularium ſodalitati, quæ fæcunda eſt Virorum, pietate, ingenioque eminentium, parens, & alumna, nomen dediſti

ſti

ſti. In ea ſiquidem, quæ, & quanta feraciſſimi ingenii, & cultiſſimi animi tui ſpecimina dediſti, explicari verbis vix ſatis poteſt. Tua verò in Litterariam Rempublicam eximia merita prætermittere nullo modo poſſum. Matheſim, & Philoſophiam à barbarorum ſordibus repurgatam, quanta cum laude docuiſti, nemo eſt qui neſciat. In Græcis litteris, quæ ad ſacras Hiſtorias, & ad omnem, tum humanarum, tum etiam divinarum rerum eruditionem, doctorum omnium conſenſione, neceſſariæ dijudicantur, mirum profectò eſt, quantum profeceris: nam, præter quam quod earumdem non inglorius profeſſor extitiſti, hujuſmodi non leve comparata ſupellectili, facile Tibi fuit ad eruditæ Antiquitatis, tum ſacræ, tum profanæ, ac totius Philologiæ jucundiſſima, utiliſsimaque ſtudia, iter dirigere. Hinc, & vetera, tum Græca, tum Latina Numiſmata, litterata Marmora, aliaque erudita id genus monumenta, à Te conſiderata, dijudicata, & eximiis ex omni

ni litterarum genere refertis, Commentariis illuſtrata, undique cernuntur. Poſtularet hic quippe ſcribendi ratio, ut locupletiſſimorum teſtium loco, tua, hiſce de rebus hucuſque evulgata, volumina recenſerem. At quotus quiſque eſt, cui adhuc perſpectum non ſit, Te primùm Chriſtianarum Antiquitatum ſtudio addictum, illuſtre Opus de *Sacris Chriſtianorum Balneis* evulgaſſe? Sacri Ordinis Hieroſolymitani hiſtoriæ conſcribendæ deſignatum, laborem illum publica luce donaſſe, quo priſcæ ejuſdem Ordinis leges, antiqua Liturgia, ſeries Prælatorum Conventualis Eccleſiæ, & reliqua omnia, quæ ad Ordinis Presbyteros, eandemque Conventualem Eccleſiam pertinent, latiſsimè patent? Non doctum, ſed factum omninò, ad quævis abſtruſiora, & ſalebroſa antiquitatis fragmenta rimanda, de Te ſane prædicandum ab iis eſt, qui reliqua ingenii tui, luce donata, monumenta percurrant, *Obſervationes* nimirùm *in Numiſmata Marci Aurelii Triumviri*, non pau-

cas illas, eruditione, & argumenti novitate, præſtantiſsimas lucubrationes, de *Uſu* præſertim *umbellarum apud antiquos*, de *Cubiſtica ſaltatione Græcorum* de *Menſoribus Cereris Auguſtæ*, de *Singulari Mercurii ſigillo*, & opus illud, multa laude digniſsimum, *Monumenta Peloponneſia* inſcriptum, quo luculenta enarratione, & miro Græcanicæ eruditionis apparatu, antiquiores, & abſtruſiores Græcæ Inſcriptiones Inſularum Ægæi Maris, & Athenarum, a Te illuſtrantur, & explanantur. Hinc non mirum profecto eſt, ſi à Benedicto XIV. in omne ævum recolendæ memoriæ Pontifice Maximo, ingeniorum æquiſsimo æſtimatore, Tibi tot, tantiſque animi, ingeniique ornamentis inſtructo, imperatum fuerit, ut antiquitates nonnullas Bononienſes interpretamento honeſtares. Hiſce quidem præſidiis, & operibus, in proclivi Tibi fuit, in magnam omnium opinionem venire; itaut, cum Galliæ, Germaniæque tractus, exactioris, amplioriſque cogni-
tionis

Digitized by Google

tionis acquirendæ gratia, peragrares, in multos Eruditorum coetus, Academias appellatos,de quibus ſatis habeo,Regiam Pariſienſem, Biſuntinam, & Jenenſem, dumtaxat nominare, honorificè relatus fueris. Et, quod Tua demum non ultima laus eſt, in amorem, venerationemque Tui, non doctrinæ ſolum, eruditioniſque præſtantia, unumquemque traducis, ſed multo etiam magis ea, qua naturà polles, comitate; cum qua ſemper miram vitæ integritatem adeò conjungere ſtudes, ut, nè à religione officii, quod Clericalis Militia, vel Regulare exigit Inſtitutum, declinare videaris, utque ampliſſimis, quæ ſuſtines, muneribus, apprimè reſpondeas, ſomno & cuilibet corporis curationi, quæ a Canonum mente aliena haud eſt, horas detrahere plurimas conſueſcis, ut eas ad foecundam, divitemque Tuam, omnigenæ eruditionis meſſem augendam impendas. At quid plura? Spectatam ſatis virtutem, doctrinamque tuam, fateatur quiſque neceſſe eſt, qui Te modò,

à Serenissimo Hispaniarum Infante Philippo, Litterariæ Reipublicæ Patrono optimo, bonarum artium providentiſſimo inſtauratore, & ſupra omnes retrò Principes ſapientiſſimo, ampliſſimæ, lectiſsimæque Bibliothecæ Parmenſi præpoſitum, & ad antiqua pulcherrima monumenta Urbis *Vellejæ*, quæ poſt tot ſeculorum intercapedinem, in hac temporum felicitate, tanto ſub Principe, ſe è Terræ viſceribus prodit, dilucidis explanationibus inſtruenda, deputatum animadvertat. Tuæ igitur ſapientiæ amplitudini, tuæque inſuper non vulgari humanitati, adſcribas quæſo, ſi hæc mea, qualiſcumque ſit, Diſſertatio, amplisſimo Tuo decorata Nomine, in publico verſetur: Quam quidem, ut obſidem perpetuæ in Te meæ obſervantiæ excipias, precor; & ad rem, ut promiſſa ſolvam, verba jam confero.

DIS-

DISSERTATIO.

I. APertissimum enim eſt, rationem illam, quam in exponendo priore litterato lapide ſibi propoſuit eruditiſſimus Auctor *Commentarii de Gladiatorum Collegio*, ſine ulla imminutione laudis, quam etiam in reliqua ſui operis parte ſalvam eſſe *Vir. Clar.*, æquum eſt, jure méritòque commendabilem cenſeri, & communi ſapientum judicio ex eo potiſſimum reſpondere, quod ab *Epigraphe*, *ſive nota Conſulari*, quæ caput inſcriptionis eſt, initium ſumat ille, probè noſcens, quod ex ea non minimum quandoque lucis cæteris rebus emergit. Quum igitur, eundem omninò ordinem ſervare, conſtituerimus, nè latum unguem ab eo diſcedamus, diſſertationem hanc noſtram ſic aggredi liceat. Exorditur ille lapidis interpretationem à verbis illis initialibus:

IMP.CAES. L.AVRELIO COMMODO
M. PLAVTIO . QVINTILLO . COS.

At hic primùm omnium animadvertendum profecto eſſet, binas has Inſcriptiones, quas *Commentarii Auctor* explanare conatus eſt, quarto ab Urbe lapide, extra Portam *Labicanam*, prope viam, redundante, ac plurimum diffluente ob copiam pluvialis aquæ, proximo rivulo, è terræ latebris *menſe Octobri anno MDCCLV.* erutas fuiſſe; prout teſtatur *Piraneſius*, accura-

curatiſſimus Romanarum Antiquitatum in ære ſcalptor, ſive *inciſor*, qui ita ad amuſſim, prout ipſo in marmore jacent eas tranſcripſit,& in ære inciſas,evulgandas curavit in ſua Collectione, cui titulus *le Magnificenze di Roma tom. IV.tab.57.* ut præmiſſum exemplar ab eadem *Collectione* mutuare omninò duxerimus.

II. Redeamus modò ad *Commentarii Auctorem*, &, diſcimus, ait, ex hacce marmoris epigraphe, annum inſcriptionis hujuſmodi eſſe ab *Ur.Con.* DCCCCXXX., vulg. æræ CLXXVII., & *M. Aurelii* Imperatoris XVII., ex eo quia tunc temporis *Aurelius Commodus* cum *Quintillo* conſulatum geſſit. Quæ quidem annorum deſignatio reſpondet quoque anno VII. Pontificatus *Eleutherii*, *periodi Julianæ* 4890., *Olymp.*239. *&c.* prout apud Chronographos legitur. Animadvertendum hic tamen eſt, quod, cum *Marcus Aurelius* pater *Commodi* nonniſi poſt mortem *Antonini Pii*,quæ ad annum 161. a Chronographis rejicitur, imperium ſuſceperit, cuique patet, inſcriptionis tempus referendum eſſe in annum XVI. *Imperii M. Aurelii*; ſi exactiùs ſupputentur, ſive ad calculum revocentur, anni ab exceſſu *Antonini* decurſi uſque ad Conſulatum *Commodi*, & *Quintilli*. Nos equidem haud latet, quod *Petavius*,inſignis ille Chronographus,ab aliquibus carpitur, ex eo quia, ait *Joannes Chriſtopharus de Jordan in ſect. XI.Apparatus Chronologici ad Origines Slavicas*, errorem calculi continuat, pro anno emortuali, *Antonini* nempe, ponens 161: attamen non deſunt inter doctos viros, qui contrariæ huic ſententiæ omninò non acquieverunt: *Sigonius* proindè, ſive, ut rectiùs dicamus, illius continuator in *Faſtis Conſularibus*, deſignavit annum imperii *M. Aurelii* in Conſulatu *Commodi* & *Quintilli* n.16. 17. *Baſnagius* etiam in *Annalibus Politico-Eccleſiaſticis*, de eodem Conſulatu verba faciens, ſe hærere demonſtrat, & non habere quò ſe verteret, dum eundem numerum ibidem collocat 16.17. imperii *M. Aurelii*. His poſitis, tantum ſibi auctoritatis adſciſcere quis poterit, definiendo, quod *Commodi* & *Quintilli* conſulatus inciderit in annum XVII. *M. Aurelii*? Nec officit, quod *Muratorius* in *Annalibus Italiæ* eundemmet annum XVII. ſimpliciter deſignaverit, cum ex eo non ſequitur, quod lis ſub judice adhuc non exiſtat.

III. Se

III. Se diſcere, Auctor ſecundo loco animadvertit ex eodem lapide, quod primus ſit ejuſdem *Commodi* Conſulatus: & id quippe nec alicujus indiget animadverſione, nec Faſtorum Conſularium teſtimonio. Nam ſponte ſua patet, non alium, quam primum *Commodi* Conſulatum fuiſſe, ſi præ oculis habeamus conſuetudinem illam, jamdiu è tot numiſmatibus, & litteratis lapidibus comprobatam, quam Romani in deſignandis cæteris poſt primum Conſulatibus, ab aliquo initis, conſtantiſſimè retinuerunt, hoc eſt Cos. II. Cos. III. Qua de re, cum noſtro in lapide non extet hujuſmodi nota, percipere facillimum eſt, non ſecundum, non tertium &c. ſed primum Conſulatum à *Commodo* tunc temporis initum fuiſſe. Qui hujuſmodi ità ſervatæ conſuetudinis teſtimonium deſiderat, facilè illud apud *Sigonium* reperiet; is enim in *Comment.* de *Faſt.Conſ.* de Conſule anni CCXLV. hiſce verbis loquitur: *iterum autem Conſul Valerius ſcribitur, ut idem eſſe, qui priore anno fuit, intelligatur, notatur autem hoc modo* II, *ſic enim eſt in nummis antiquis, & lapidibus maximè capitolinis . . . . . qua de reſcribit etiam Gellius lib. X., ubi numerum tertii Conſulatus Cn. Pompei in Theatro tribus tantum lineis III. inciſis ſignificatum fuiſſe ait*.

IV. Qui quidem Commodus, ſi juxta tertiam *Auctoris Commentarii* animadverſionem, innixam reverà auctoritati clariſſimorum virorum, quos ipſe recenſet, & laudat quoque *Muratorius* in *Annalibus Italiæ*, prænomen *Marci* nonniſi poſt Patris obitum in ejus honorem aſſumpſerit; credendum quoque eſt, quod illud *Lucii*, exculptum in lapide, de quo agitur, acceperit à *Lucio Vero*; *Marci Aurelii* fratre, & imperii collega, ante Conſulatum ſuum defuncto. Nam & aliquando *Ælii* prænomen aſſumpſiſſe etiam eundem *Commodum* legimus, fortaſſe ex eo, quod *Ælius Hadrianus* adoptaverat *Antoninum Pium*, & hic *M.Aurelium* Patrem ſuum.

V. At verum omninò eſſe, quod *Commodus* prænomen *Marci* patris ſui aſſumpſerit nonniſi poſt illius mortem, & proindè in lapide illud *Lucii* inſculptum fuerit, quiſnè tutò affirmare poterit? Si fides, ut par eſt, habenda ſit numiſmatibus *Muſei Piſani, olim Corrarii*, ex *tabula XXVIII. n. IV. pag.* 82. habetur quoddam *Commodi* numiſma, in quo legi-

legitur à parte antica *L. Ælius Commodus Auguſtus Pius Felix*, & a parte poſtica, *Herculi Romæ conditori Pontif. Max. Tribun. Poteſt. Conſ. VII. Patri Patriæ*. Et ex eo comprobatur non modo *Herodiani* teſtimonium in *lib.* 1. *cap.* 14., quod, nempe, eò vecordiæ, ac petulantiæ proceſſit *Commodus*, ut paternum nomen repudiaret, ac pro *Commodo*, *Marci* filio *Herculem* ſe *Jovis* filium appellari juſſerit, verum etiam ea de re *Lucii* prænomen in gratiam Patris aliquando depoſuiſſe, illo *Marci* aſſumpto, iterumque primum recepiſſe, cum paternum repudiaverit. Et eò vel magis quiſque cum hac noſtra convenit ſententia, ſi præ oculis habeat adnotationem illam, qua in laudato *Piſano* Muſeo illuſtratur Numiſma *tab.* 29. *num.* 4. hiſce potiſſimum verbis: *Marcus Aurelius Commodus Cæſar: ex hoc numiſmate, ubi Commodus adhuc Cæſar Marci prænomen gerit, conſtat ipſum Commodum, antequam Imperator eſſet, Lucii prænomine, quod antea tulerat, relicto, Marcum in gratiam Patris appellari, inſcribique cœpiſſe. Commodus* è contra Imperator appellatus fuit, teſte *Lampridio*, v. *Kal. Decembr:*, *Pollione*, *iterum*, & *Apro Conſ.*, anno nempe 176. vulgaris æræ. Vivente igitur patre, & anno præcedenti illum inſcriptionis noſtræ, ex his omnibus ſupradictis affirmandum eſſet, *Marci* prænomen a *Commodo* aſſumptum fuiſſe. Neque vero quiſpiam ſibi in animum inducat, pro hac eadem idcirco nos eſſe ſententia; cum nunquam rati fuerimus, in rebus illis, in quibus hariolatur plerumque, aliquid pro re certa in medium proferre: egimus id tantummodo, ut in propatulo eſſet, ullo unquam pacto axiomatum naturam induere haud poſſe omnes ferè, quæ in re antiquaria exhibentur, animadverſiones: difficultates enim occurrunt plurimæ, & tantum per caliginem licet omnia intueri. Qui ulteriùs teſtimonium aliquod exoptaret, quo *Commodum* ſui prioris Conſulatus tempore aliquando nec *Marcum*, nec *Lucium*, appellatum fuiſſe, pateret, apud *Maffejum* inveniet inter *varias Inſcription. fol.* 312. *num.* 5. id ipſum, quod modò tranſcribimus.

D. D.

D. D.
. . . . SACERDOTI
M . STLACCIO . RVFO
DEDICAVIT . IIII. ID. APRIL.
IMP. COMMODO . COS
CVRANTE . HERMETE
CONSERV.

VI. Ignoramus profecto, quomodo ex lapide, de qua agitur, diſcere quis quartò poſſit, *veram eſſe Pagii opinionem, contendentis, circa idem tempus fuiſſe eidem Commodo Auguſti nomen tributum*. Id enim in marmore non legitur: nec ex illius verbis id ipſum conjicere quiſque poterit. Imò exploratum ſatis, perſpectumque non habemus, de quonam tempore loquatur *Commentarii Auctor*, de illo, nempe, inſcriptionis, vel de illo poſt *Marci Aurelii* patris obitum. De primo id aſſerere, alienum profectò eſt, cum ſatis non conſtet: quoad alterum, *Pagii* opinio pro vero habenda non eſt, ſi fidem antiqua habeant monumenta. Hujuſmodi enim *Auguſtea* dignitate, indubitum eſt, ut nonnulli eruditorum affirmant, Commodum ornatum fuiſſe anno proximo priori ſuo Conſulatui: *Scaliger* præ cæteris eam ſtatuit chronologiam, fretus auctoritate *Chronic. Alexandrin.*; attamen *Samuel Baſnagius*, in *vol. 2. ſuorum annalium pag. 163.*, contendit, immeritò illum egiſſe, ex eo quia in laudato chronico nulla ea de re mentio extat; imò animadvertit, nec etiam *Lampridii* verba de eodem *Commodo*, *& cum Patre Imperator eſt appellatus V. Kalend. Decemb. Pollione, & Apro Coſ.*, de *Auguſtea dignitate* capienda eſſe; quia victoriæ alicujus occaſione Patri, & filio, Imperatoris titulus datus fuit; & patet è verbis ejuſdem *Lampridii*, *cum Patre Imperator eſt appellatus, & triumphavit cum Patre &c.* Qua de re ipſe cenſet, ad annum ſui prioris Conſulatus, *Commodi* in Auguſtum creationem eſſe revocandam, ſuamque ſententiam tuetur inſcriptione epiſtolæ *Ariſtidis* de *Smyrna*, horrendo terræmotu vaſtata: *Imp. Cæſari M. Aurelio Antonino Auguſto, & Imp. Cæſari Aurelio Commodo Auguſto, Ælius Ariſtides ſalutem*. Et demum addit, quod *Euſebius*, & *Smyrnæ* cladem, & *Commodi*

evectionem ad Auguſti titulum eidem anno tribuat, quamvis perperàm, illum fuiſſe, afferat annum XIX. *Marci Aurelii*.

VII. Neque verò, ex eo, quod in inſcriptione hac noſtra nulla eſt mentio *Auguſteæ Commodi* dignitatis, affirmare quis jure poteſt, illum tunc temporis non fuiſſe *Auguſtum*, vel circa idem tempus fuiſſe. *Pagius* ipſe ad *ann. Chriſti* 177. *n.* VI. nos docet occaſione duorum *Commodi* nummorum, in quibus non dicitur Auguſtus, illum in multis nummis, poſtquam Auguſteam dignitatem obtinuit, cuſis, Auguſtum non appellari, ſed, vel ſimpliciter, vel filium Auguſti: affert proinde *Mediobarbi* nummum *pag.* 245., in quo legitur, *Commodum* Auguſtum non appellari; quamvis nummus ille cuſus fuerit anno 180. Animadvertit ulterius, non *Commodum* ſolùm, ſed, & alios Auguſtos in nummis abſque eo munere nominatos. Hinc ſe tandem intelligere ait, eum ante annum CLXXVIII. *Auguſtum* appellatum. Nos verò jure, meritòque intelligimus, quod, ſi de numiſmatibus id *Pagio* dicere licuit; idem aſſerere, abs re non erit, de lapidariis illis inſcriptionibus, in quibus, prout eſt in noſtra, tantum *Commodi* ſit mentio, propterea quod, ejuſdem Conſulatu deſignato, rerum geſtarum ætas in poſterum innoteſceret; & nullum idcircò ex ea quis poteſt argumentum ſumere, quod eadem dignitate fuerit, vel nè *Commodus* donatus.

VIII. De eadem Auguſtea dignitate, a *Commodo* aſſumpta, clariſſimus ille *Gorius*, ultra vulgarem eruditorum aleam evectus, in *Muſeo Florentino vol.* 1. *Numiſmatum antiquorum pag.* 144. *tab.* XXXII. *claſ.* 2., dum refert inſcriptionem nummi. *M. Aurelius Antoninus Aug. L. Aurelius Commodus Auguſtus*, animadvertit, ſe ſuſpicari, illum percuſſum fuiſſe *anno Urb. Cond.* DCCCCXXVIII. *Chriſti* CLXXV. *quo*, uti obſervat doctiſſimus *Pagius ad Annales Baronii tom.* 1. *pag.* 153., *& nummi teſtantur*, *idem Comodus a Patre Auguſtus adpellatus eſt*. Deindèque *pag.* 191. *n.* CXLVIII. *ad tab.* XLIX. *n.* 3. ait quoque, quod cum ex nummo, ibidem locato, appareat, *Commodum imberbem*, ac juvenili ſpecie ſculptum, Imperatorem vocatum, arguere licet, nummum eidem dedicatum fuiſſe labente an. ab *Urb. Cond.* DCCCCXXVIII., *Chriſti* CLXV., quo a *M. Aurelio* parente ſuo *Auguſtus* dictus eſt. Ita & *Paulus Pedruſi* eruditiſſimus Auctor *Muſei Farneſiani*, cum

de

de *Commodo* ſermonem inſtituit in *tab.* XV. *num.* 3. *pag.* 314. *vol.* V. hiſce verbis adnotat, *che egli nella tenera età di* 5. *anni fu appellato Ceſare da M. Aurelio ſuo Padre, nell' anno appunto novecento, e diciannove di Roma, quindi nel novecento, e ventotto fu decorato del ſublime titolo d'Auguſto, e munito del Potere Tribunizio*. Et *Pagius* denique in *Differt. Hypatica*, ſeu de *Conſulatibus Cæſareis cap.* I. *n.* IV. *part.* I. etiam ait: *Commodus anno Chriſti* 166. *Cæſar nominatus eſt, tum anno* 175. *Tribunitia poteſtate, ut ex nummis conſtat, donatus, anno ſequenti Auguſtus a Patre dictus, ac anno* 177. *Conſul ordinarius proceſſit*.

IX. Quinto loco veram quoque eſſe *Muratorii* conjecturam, advertit *Commentarii Auctor*, ideſt *Quintillum* non *Quintilium* collegam Commodi appellatum fuiſſe. At *Muratorii* animadverſio conjectura appellanda profecto non eſt, cum jam in omnibus *Faſtis Conſularibus*, ut ipſemet Auctor fatetur, *Quintillus* appelletur. *Gudianum* verò marmor cuiquam fucum facere nequit: nam ſatis inter eruditos conſtat, cujuſnam ſint naturæ nonnulla ejuſdem marmora. Inter hujuſmodi initiales animadverſiones collocari ſane ulterius poterat, quod *Commodus* in græcis æneis numiſmatibus, modò duplici μμ, modò ſimplici Κομοδος ſcribitur, cum tamen Κομμοδος ſcribendus videatur, ut legitur *pag.* 1204. *n.*4. *Dionis*, a *Reimaro* evulgati, & patet ex hac eadem inſcriptione. Nec non etiam addere perfacile erat, ex ipſamet *epigraphe* probari, quod in ſeculo ſecundo priori Conſuli alter ſine copula & ſubnectebatur; itaut jure, ad omnem vetuſtatem rimandam, ſcrutandamque, natus, ac reſervatus, eruditiſſimus ille *Mazochius*, lapidem, a *Sponio* relatum in *miſcellan. erudit. antiquitat. pag.* 292., ſerò ſcalptum fuiſſe, ex eo ſuſpicatur; prout alias recenſendo conjecturas fuſiùs ait in *cap.* I. *curar. poſter. poſt Epiſtolam de Dedicatione ſub Aſcia*. Non deeſſent quippe & alia, quæ ex eodem titulo elicere quiſque poſſet, ſi eandem ſervare methodum, in animo haberet. At quæ diximus, ſatis profectò ſint.

X. Tranſit deinde laudatus *Commentarii* Auctor ad verba illa exponenda: INITIALES COLLEGI SILVANI

AVRELIANI. Et hic quoque patefit conſuetudo illa antiquorum, in unum contrahendi *i* alterum in genitivis geminantibus; cum, illum ſubtrahere conſueviſſe veteres in oratione, tum adſtricta, tum ſoluta, teſtetur *Pitiſcus* in *lexico*. Quod utique animadverteret, qui de aliquibus aliis litteris immutatis idem quoque alibi egiſſet. At ad ſemitam redeamus; de Collegio, numini *Silvano* dicato, in lapide agi, ait ille, & hujuſmodi Collegium, novum haud eſſe, comprobat duabus inſcriptionibus, quarum una legitur apud *Muratorium p.529. n. 5.*, altera apud *Fabrettum pag. 20. de columna Trajana*. Nec prima, nec altera tamen de Collegio *Silvano Aureliano* agit: hinc, vetuſtatem hujuſmodi Collegii, quiſque videt, è dictis inſcriptionibus probari haud poſſe: niſi fortaſſe cum clariſs. Auctoribus Operis, cui titulus *Marmora Taurinenſia*, contendere velit, Collegium hoc noſtrum unum, & idem fuiſſe cum iis, quæ in modò recenſitis titulis leguntur, proindeque cum *Magno Collegio Larum*. Poſtquam enim illi, in *par. 1. de Silvano* ſermonem inſtituentes, nos docent, de *Silvani Collegio* meminiſſe *Gruterum*, & *Muratorium* in *Inſcript.*, & de *Collegio* itidem *Silvani* reſtituto ſingularem editam fuiſſe inſcriptionem à *Maffejo in p.25. ſelect. Antiq. Galliæ* (quam dabimus inferiùs), demonſtrare conantur, *illud idem nuper memoratum in Inſcriptionibus Silvani Collegium, unum idem fuiſſe cum Larum Collegio*; & hujuſmodi conjecturam haud parum confirmari, autumant, ex alia, quæ apud *Gruterum* legitur, inſcriptione, *pag. 63. num. 1.*

SILVANO . SACRVM . SOD. EIVS . ET . LARVM
DONVM . POSVIT . TIT. CLAVD. AVG. LIB
FORTVNATVS. A. CVRA . AMICORVM

ſtaut, eos, qui *Collegio Larum* adſcripti eſſent, vel ſodalitio *Silvani*, & *Larum* quoque ſodales clariſſime in eadem inſcriptione nuncupari, denique oſtendant.

XI. Monumentum illud revera, quod hiſce ſequentibus verbis legitur apud *Monſauconium*, & *Muratorium*, qui & extare *Pariſiis* apud *Monachos Benedictinos S. Germani*, ait *in*

pag.

pag. 192. *num*. 4. ſui *Theſauri*, deindeque *in appendice fol. MMXVII. claſſ*. 7. *n*.2., ex authore libri *de Religione Gallorum* illud eſſe, adnotat, in *S. Mauri des Foſſez*

COLLEGIVM
SILVANI . REST
ITVERVNT . M
AVRELIVS . AVG.
LIB. HILARVS
ET . MAGNVS . CRYP
TARIVS . CVRATOR

ad lapidariam hanc noſtram inſcriptionem referendum eſt; ex eo quia, ut legenti patet, ibidem ſit mentio de eodem *Aurelio Auguſti Liberto Hilaro*, *&* *Magno Cryptario Curat. Collegii Silvani Aureliani*.

XII. Ex hujuſmodi monumento, a Clariſſ. Viris *Antonio Rivautella*, *& Joh. Paullo Ricolvi* inter *Marmora Taurinenſia*, *Diſſertationibus*, *& notis illuſtrata*, necnon a præſtantiſſimo *Maffejo* inter *Galliæ Antiquitates ſelectas Epiſt. XVIII.*, tranſcripto, ea adjecta notatione, *nullum aliud, quod meminerim, religioſæ ſodalitatis reſtitutæ mihi unquam monumentum occurrerat*: *lapides habes è Romuleo ſolo huc advectos*, occaſionem nanciſcitur *Commentarii Auctor*, *Muratorium* ex eo potiſſimum redarguendi, quia aliundè poterat colligere *Gladiatorum Collegium*, & odio ipſorum renuiſſe. Qua de re in medium profert Inſcriptionem illam *Mutinenſem*, quam exſcripſit idem *Muratorius* in ſuo *Theſauro p*.511. *num*. 3.

D. M.
Q. ALFIDIO
Q. L. HYLAE
VI. VIR . FORO . SEM
PRONII . COLLEGII . ARENA
RIORVM . ROMAE . NEGOT
IANTI . LANARIO
ALFIDIA . SEVERA . PA
TRI . PIENTISSIMO

necnon

necnon clariſs.ejuſdem viri animadverſionem,laudato loco ad eam illuſtrandam exaratam, quæ ſequens eſt: *Alfidius iſte Hyla negotians, ſive negotiator lanarius, præterquam ſevirum, hoc eſt Auguſtalem, egit Foroſempronii, nunc* Foſſombrone, *adſcriptus etiam fuit Collegio Arenariorum Romæ. Quod Collegium nunc primum nobis innoteſcit. Nec heic deſignatos puta Arenarios, qui in Arena contra feras pugnabant, viliſſimum hominum genus, ſed quidem, qui materiam fabricis Romanis miniſtrabant. Arenarias Romanas Varro, Cicero, Vitruvius commemorat. Arenaria quoque appellatæ Cryptæ, in quibus priorum temporum Chriſtifideles latitabant, & ſepeliebantur, nunc* le Catacombe, *ut ex actis SS.Martyrum conſtat. Si inſcriptio hæc ex Ligorio profecta fuiſſet, aliquis impoſturam fortaſſe ſuſpicatus fuiſset, at Mutinæ integrum marmor viſitur.*

XIII. Hanc equidem Adnotationem novo, ac inuſitato more irridere ſtudet, qui *Mutinenſem* eundem lapidem referendum eſſe putat ad Gladiatorum Collegium, ferme ac *Muratorius*, tanquam *bonus Homerus* in ea conficienda dormitaſſet, & omnia commentitia, vix digna lucubratione anicularum dixiſſet. Peregrina, & magno ſtudio conquiſita, eidem videtur notio illa vocis *Arenariorum* loco *Arenæ foſsorum*: at quia nonnulla urgent, ut lapis ille potius referatur ad *arenæ foſsorum*, ſive *Arenariorum* Collegium, quam ad Gladiatores, ideo hic tantiſper immorandum eſt. Pro certo namque habetur, arenæ fodinas *arenarias* appellatas fuiſſe,*Cicero* pro *Cluentio c.* 12., *in arenarias quaſdam perductus occiditur*, *Vitruvius* 2. 4. *non erunt arenaria, unde fodiatur*; ideoque, ſub nomine *Arenariorum* intelligi, nihil vetat, *Arenarum foſsores*. Et quemadmodum ſub nomine *arena*, unde *arenarius* derivatur, non modo locus, in quo gladiatores decertabant, ſed littus etiam venit, ſeu portus, ut apud *Virgilium* 1. *Æn. egreſſi optata potiuntur Troes arena*, forus, ut ex *Seneca*: *hoc ita habitum eſt, ſcholam quaſi ludum, forum arenam*; item & quicumque alius locus, in quo pugnatur, *Florus lib.* 4. *prima Civilis belli arena Italia fuit*; apud *Plinium epiſt.* 12. *lib.*6. ſumitur quoque pro uſu agendi, frequentato apud centumviros, hinc ſcribit, *itaque Vectio Priſco, quantum plurimum potuero, præſtabo, præſertim in arena mea, hoc eſt apud centum-*

tumviros . Ita , & ſub nomine *Arenariorum* , pro vero habendum haud eſt , quod ſemper , & omnino gladiatores intelligantur . Et revera , quamvis apud *Petronium* legatur , *quædam enim fœminæ ſordibus calent, nec libidinem concitant, niſi aut ſervos viderint .... barenarius aliquas accendit*, attamen in notis *Joſ. Antonius Gonzall de Salas* animadvertit , *ſunt etiam Venatores dicti Harenarii* . *Tertullianus* ipſe in *lib. de ſpectaculis* gladiatores , juxta *la Cerda* in notis , *Arenarios* appellat (quamvis *Barræus* illos explicet fuiſſe , qui arenam deferebant in Amphitheatrum); in opere de *Pallio Arenarios* appellat illos , qui pueros elementa numerorum docebant .

XIV. Præterea, non ita facile ſibi quiſque blandiri debet , *Arenarios* eoſdem fuiſſe, ac gladiatores , & eo vel magis , quia *Muratorius* in eadem recenſita animadverſione jam *Arenariorum* inſtitutum apprimè expoſuit verbis illis , *qui in Arena contra feras pugnabant* . Qui aliquantulum Romanæ Juriſprudentiæ volumina volverit , indubium aſſertionis noſtræ vindicem ſe conſtituet : *in leg.* 11. *Cod. de inofficioſo teſtamento* legitur : *in arenam non damnato , ſed ſua ſponte arenario conſtituto , legitimæ ſucceſſiones integræ ſunt , ſicuti Civitas , & libertas manet ; ſed ſi teſtamentum parens ejus fecit , neque de inofficioſo teſtamento accuſatio , neque bonorum poſſeſsio ei competit; nam talem filium merito quis indignum ſua ſucceſsione judicat* . In *leg. ſi in Arenam Digeſt. de fugitivis* habetur , *ſi in arenam fugitivus Servus ſe dederit , ne iſto quidem periculo diſcriminis vitæ tantum ſibi irrogato, poteſtatem domini evitare poteſt; nam divus Pius reſcripſit , omnimodo eos dominis ſuis reddere , ſive ante pugnam ad Beſtias , ſive poſt pugnam , quoniam interdum aut pecunia interverſa , aut commiſso aliquo majore maleficio ad fugiendam inquiſitionem , vel juſtitiam animadverſionis in arenam ſe dare mallent , reddi eos oportet* . In *lib. XXI. tit.* 2. *Digeſt. de Ædilitio Edicto* altera lex extat , qua animadvertitur , *ſi quod mancipium capitalem fraudem admiſerit , mortis conſciſcendæ cauſa quid fecerit , inve arenam depugnandi cauſa ad Beſtias intromiſſus fuerit , ea omnia in venditione pronunciant* . Item in *leg.* 5. *Digeſt. ad Senatuſconſultum Trebellianum* , ut exponeret Juriſconſultus , ad cujuſvis perſonæ , etiam viliſſimæ , hæreditatem adeundam , reſtituendamque fideicommiſſario , heredem

dem cogi poſſe, pro exemplo hujuſmodi perſonæ collocat *Arenarium*, & *Meretricem* : *ſed & qui magna prœditus eſt dignitate, vel auctoritate, arenarii, vel ejus mulieris, quæ corpore quæſtum facit, hereditatem reſtituere cogetur*. Et inter viliſſimas perſonas, edocemur, fuiſſe, damnatos ad Beſtias, ac illos, qui præter damnationem operas ſuas locaverant, ut cum Beſtiis depugnarent; idcirco nec in teſtes adhibebantur, niſi præviis tormentis, ut ex lege *ob carmen Dig. de Teſtibus §. ſi ea rei conditio ſit*: *ubi harenarium teſtem, vel ſimilem perſonam admittere cogimur, ſine tormentis teſtimonio ejus credendum non eſt*.

XV. Ex his omnibus ſupra recenſitis Romanis legibus apparet luculentiſſime, qui ſub *Arenariorum* nomine tunc temporis intelligebantur, & probatum æque remanet, an cum *Muratorio* viliſſimum dicendum ſit hujuſmodi genus hominum. At fovet quoque ſententiam hanc noſtram diſtinctio illa, quæ apud *Apulejum* legitur *lib. iv. Metamorphoſeon n.* 4., dum loquitur ille de munere gladiatorio, a quodam *Demochare* edito, *gladiatores iſthinc famoſæ manus, venatores illic probatæ pernicitatis, alibi noxii perdita ſecuritate ſuis epulis beſtiarum ſaginas inſtruentes*. E quibus ſane verbis patet, ad exprimendos illos, qui cum beſtiis pugnabant, circumlocutione *Apulejum* uſum fuiſſe, fortaſſe quia proprium, vel peculiare nomen non habuiſſent veteres, vel undique notum non fuiſſet illud *Arenariorum* ab Arena, in qua cum beſtiis pugnabant, deſumptum. Itaut ex vocis penuria, ut de translatis *Cicero* in *de Oratore* ait, illam *Arenariorum* a veteribus adhibitam fuiſſe, non adeo male conjicere quis poterit, ad noxios illos, & cæteros cum beſtiis pugnantes (*beſtiarios* aliquando appellatos) indicandos.

XVI. Hinc eſt, quod eruditiſſimus ille *Coraſius* in *Miſcell. Jur. Civil. lib.* 4. *num.* 9. *cap. xxiv.* Athletarum ſpecies dum multifarias eſſe exponit, gladiatorum, nempe, qui cum gladiis pugnabant, deinde ait *arenarios*, fuiſſe, *qui in arena cum beſtiis colluctabantur, quos ideo Jul. Capitol. in Antonino Philoſopho beſtiarios vocat*. Et magnus etiam cenſoriæ artis princeps *Iſaacus Caſaubonus* in notis ad *Capitolinum n.* 29. idem profecto innuere videtur, cum ait, *adde, quod non omnes, qui in harenam deſcendunt ſunt harenarii*; deinde-

Indeque proſequitur, *quis putat principe Marco harenariis ad honores fuiſſe aditum, erant enim definitionibus legum infames, & inteſtabiles.*

XVII. Ulterius in inſcriptione *Ancyrana*, quam exhibet *Muratorius in claſſe* IX. *pag.* DCXLIII., apertiſſima patet diſtinctio inter gladiatores, & Arenarios; ibi enim legitur,

. . . . ΘΗΡΟ
ΜΑΧΙΑΝ ΕΔΩΚΕΝ
. . . . *Ferarum*
Pugnam dedit
ΠΥΚΤΑC ΚΑΙ ΜΟΝΟΜΑΧΟΥC
ΕΔΩΚΕΝ
Pugiles & gladiatores exhibuit

Idem ſane diſcrimen in *Tacito* legitur *lib.* 2. *hiſtor.*, cum ait, *cautum ſeverè, nè equites Romani ludo, & arena polluerentur.* At ex *Tertulliano*, & *Symmacho*, nè plurimis aliis teſtimoniis utamur, veram, quam expreſſimus, notionem vocis *Arenariorum* repetere, non inutile eſt; primus enim in *lib. de habitu mulieris* arenæ atrocitates ad feras retulit, dum ait: *non ideo Circi terroribus, aut arenæ atrocitatibus, aut ſcenæ turpitudinibus, Chriſtianos affici oportet, quia Deus & equum, & Pantheram, & vocem homini dedit.* Alter vero in *epiſt.* 57. *lib.* 5. *Venatores Arenarios* appellat: *& ideo de venatoribus exhibendis repeto poſtulatum, quo facilius tibi diligentiam geminata ſcripta ſollicitent. Dies muneris noſtri tempori admovetur; cui largitas candidati ſola non ſufficit, ſi aptioribus harenariis deſeratur; inepta eſt munificentia, quæ præſtatur indignis. Quapropter quæſo te, ut venatorum potiſſimos auctoritate judicis, & fratris amore concedas.*

XVIII. Si ſecus *Arenariorum* vocis notio intelligenda eſſet, de gladiatoribus, nempe, ut nonnulli contendunt, id quoque ſequeretur, quod juxta ſanctionum, ſuperius tranſcriptarum, præſcriptum, univerſa penè Romana gens, plebs, nempe, Senatores, viri ac fœminæ infames fuiſſent, inteſtabiles, nullius fidei in teſtimonio dicendo,

 Non

Non deſunt enim illius ævi ſcriptores, qui indubium teſtimonium perhibent, illos omnes in arenam pugnandi cauſa deſcendiſſe; en *Taciti* verba: *ſpectacula gladiatorum idem ille annus habuit pari magnificentia, ac priora, ſed fœminarum, Senatorumque illuſtrium plures per arenam fœdati ſunt*: in *ſatyra* VIII. *n.* 189. *Juvenalis*

> . . . . *Nec tamen ipſi*
> *Ignoſcas populo: Populi frons durior hujus*
> *Qui ſedet, & ſpectat traſcurria Patriciorum.*

XIX. Quum verò gladiatores aliquando appellatos fuiſſe *Arenarios*, nobis aliquis objicere vellet, & priſci ſcriptoris teſtimonium in medium afferat, morâ profectò non indigemus, ut promptam, æque ac idoneam eidem reſponſionem reddamus, id nempe tribuendum eſſe libertati, quam ſibi ſcriptores vindicarunt, tropis, & figuris utendi. Qua de re in litteratis lapidibus, è quibus, prout in comperto eſt, pluſquam libris, res antiquaria juvari poteſt, *arenariorum* vox loco alterius, nempe, *gladiatorum* nuſquam hactenus nobis occurrit; immò potius in iis omnibus, quos in collectionibus data opera perluſtravimus, conſuetæ gladiatorum nomenclaturæ monumentum tantummodo extat. Hinc in illis legitur *munus gladiatorium*, *familia gladiatoria*: en ex *Jacobo Gutherio de Officiis domus Auguſtæ* lapis, qui auctoritatis loco hic à nobis tranſcribitur:

L. BOVIVS . L. F. CVR. PROCVR. LV
DI . FAMIL. GLAD. CAESARIS
ALEXANDRIAE . AD . AEGIPTVM

ex *Muratorio pag.* CCCXXXIII. *n.* 3.

L. GRANIO . L. FIL
TERENTINA . ROMANO
M. IVLIVS . OLYMPVS . NEGO
TIATOR . FAMILIAE
GLADIATORIAE &c.

XX. Nec

XX. Nec in lapidibus modò, ſed & in antiquorum etiam libris vocem illam *gladiatorum* uſurpatam ſemper, & omnino cernimus. Qui enim præ manibus terit volumina *Ciceronis*, *Hiſtoriæ Auguſtæ*, ac cæterorum priſcæ ætatis ſcriptorum, res hujuſmodi ignorare vix poteſt. In *Miloniana Cicero*, *gladiatores inviſos habemus*, idem *in Tuſculan.*, *crudele gladiatorum ſpectaculum* : & 1. *de Glor. In Tuſculanum mihi nunciabantur gladiatorii ſibili*: *Lampridius in Commodo*, *ſcurram denique*, *& gladiatorem ſe perfectum oſtenderet*: *Seneca de Conſtantia ſapientis cap.* 16. *quæris quid inter duos interſit? quod inter gladiatores fortiſſimos*; *Apulejus in Metamorph. lib. iv. n.* 10. *cum irruptionis ſubitæ gladiatorum impetus*. *Aulus Gellius noct. Attic. lib. xii. cap. v. n.* 4., *qualem fuiſſe accepimus ferum quemdam in ludo Cæſaris gladiatorem*. Ita paſſim non alio nomine gladiatores deſignantur apud illos non modo, verum apud *Plinium ſecundum in epiſtolis*, *Capitolinum*, *Vopiſcum*, *Svetonium*, *Tacitum*, *Valerium Maximum*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Martialem*, *Statium*, *Plautum*, *Prudentium*, cæteroſque illius ætatis ſcriptores, quorum auctoritates hic omnes referre, longum profectò eſſet.

XXI. Qui quidem Romani Scriptores ſolliciti ſemper fuerunt, ut non modo patrii ſermonis, ſed cujuslibet verbi vis, & proprietas, retineretur; itaut vox aliqua a propria ſignificatione in aliam abſque neceſſitatis cauſa non verteretur. Et ſi aliquando ab hac receſſerunt regula, id utique evenit ex eo potiſſimum, ut alibi diximus, quod aliquibus ſequi placuit veſtigia Græcorum, a quibus nonnulla, immò quamplura Romani mutuati ſunt: nam, teſte eloquentiæ principe in *Bruto cap.* 17. *ornari orationem Græci putabant*, *ſi verborum immutationibus utantur*, *quos appellant* τρόπους. At in inſcriptionibus id nunquam evenit, cum in eiſdem obvia ſit imago ſimpliciſſimi ſtili, ac ſermonis perſæpe idiotici; idque, nemo erit, hiſce in rebus verſatus, qui affirmare ullo unquam pacto detrectaverit.

XXII. Accedit deinde, quod, prout *opus tectorium* tribus, ut ex *Vitruvio* legitur, conſtabat partibus, *albario*, nempe, quod ſola calce fiebat, *arenato*, cui addebatur arena, & *marmorato*, in quo tuſum marmor adhibebatur, & proinde

proinde ab *Albario* operis hujuſmodi Artifices *Albarii* appellabantur, qui recenſentur in *Cod. Theodoſ.* & iidem ſunt, ac *tectores* a *Vulpiano*, aliiſque appellati, vulgo nunc *ſtuccatori*, juxta *Cl. Mazochii* animadverſionem in de *Dedicatione ſub Aſcia*: ita nihil vetat, quin *Arenarii* artifices ab *Arenato* opere nuncuparentur, quando vel *Commentarii* Auctori, vel cuilibet, vocis *Arenariorum*, loco *arenæ foſſorum*, interpretatio non arrideat; quamvis è libris Romani Juris argumentum præſtò ſit, hujuſmodi Arenæ foſſores tunc temporis extitiſſe, ex ſervitute illa prædiorum ruſticorum, *arenæ fodiendæ*, de qua loquitur etiam *textus Inſtit. Imper. lib. 2. tit. 3.* §. 2.

XXIII. Ad *Muratorii* conjecturas, nunc opus eſt, ut accedamus; & ſi res non tam arbitrio, quam ratione, ut par eſt, judicetur, ſpernendæ quippe non ſunt. *Arenarios* enim ex viliſsimo genere fuiſſe, ab omnibus probatur; ideoque *Quintus* ille *Alfidius Hila Negotiator Lanarius*, & *Auguſtalis Foriſempronii*, arenarius utique eſſe non poterat. Et, ſi gladiator extitiſſet, ut contendunt, qui *Muratorii* ſententiæ adverſantur, arenariorum, hoc eſt *beſtiariorum*, notionem cum illa gladiatorum permiſcendo, Collegium non *Arenariorum*, ſed apertiſsimè *gladiatorum* utique in lapide exculptum fuiſſet. Nam liquidò patet, cæterorum opificum Collegia undique in lapidibus deſignata inveniri earumdem artium nominibus, non autem verbis translatis, prout eſſet illud *Arenariorum*. Et eo vel magis inter gladiatores accenſendus haud eſt *Q. Alfidius*; quia in antiquis quibuſque marmoribus nunquam occurrit hujuſmodi Collegii *gladiatorum* memoria, ſed tantum *familiæ gladiatoriæ*, ut alibi dictum eſt. Accedit quoque, ex *Pitiſco* haberi, quod *Auguſtales* in ſuis Civitatibus, coloniis, aut municipiis, erant honeſti ordinis ſupra plebem; & populi tenuitatem; hinc in lapidibus legitur, *Ordo Decurionum*, *Auguſtalium*, *& Plebs univerſa*. Nec tantum ſibi auctoritatis tribuere quiſque poteſt ad ſubvertendam *Muratorii* ſententiam, ex eo quod apud *Fabrettum* in quadam inſcriptione gladiatoria inveniatur *C. Alfidius Tiro*: non ita facile eſt, hujuſmodi familiæ *Alfidiæ* genealogiam confeſtim texere, proindeque nemo teſtari poteſt, hunc *C. Alfidium*

fidium

fidium ex eadem *Q. Alfidii* familia fuiſſe, tanquam ſi unica hæc ſanè prænobilis familia *Alfidia* Romano in Imperio fuiſſet. En, ſi quiſpiam de alio *Alfidio* monumentum exoptet, Lapis *Lugdunenſis* apud *Maffejum* inter *Inſcriptiones varias fol.* 416.

. . . . C. ALFIDIO
GALLO . PACC.
PROVINCIAE MACEDONIAE
. . . . RIVIAE . TIBVRTIN. VALER.
LEG. LEG. PROVINCIAE. CRETAE. ET. CYRENA'
RVM LEG. AQVITANIAE VII. VIRO EPVLON
SODALI . H. . . . CIVITAS
LEMOVIC.

apud *Monfauconium vol.* 5. *part.* 1. *Antiquitatum Romanarum tab.* LXXI. *pag.* 90. altera, quæ ſequens eſt, inſcriptio legitur:

DIS MANIBVS
C. ALFIDIO CALIPPO
QVI . VIXIT . ANN. LVIII
ET . C. ALFIDIO
TRIVMPHALI ❦ FIL
VIXIT . ANN. XII. M. VIII. D. XV.
ALFIDIA . IRENE &c.

XXIV. At joco hic finamus, non autem reapſe, gladiatores ab aliquibus appellari *Arenarios*; ſtatim illi, ut *Mutinenſem* lapidem, ſpreta *Muratorii* ſententia, ad illum, de quo agitur, referant, viliſsimum quoque genus gladiatores fuiſſe, vetant aſſerere: & unde unde hæc gladiatorum præſtantia, & nobilitas deſumenda? iiſdem argumenta quippe non deſunt, quorum primum, ac præcipuum, deſumunt ab honore, in quo erant apud *Commodum* Imperatorem, quem non puduit, gladiatoris habitu in publicum ſe prodire, & ob id *Herculem*, & *Paulum* (*qui gladiator famoſiſſimus fuerat*) appellari. Revera nihil feſtivius dici poteſt: comparare hic tantiſper liceat res noſtras cum antiquis;

tiquis; ſcurræ apud Principes in honore aliquando fuerunt; idcirco inter honoratos cives quiſne illos adnumerabit? perſonati homines, vulgari appellati idiomate *Pulcinelli* nonnè gratiſsimi non modo populo, ſed cuique perſonarum generi ſunt? itaut Bacchanalium tempore, illorum induti habitu, procedere nobiles quoque viri non dedignantur: igitur & deinceps habendi non inter viliſsimum hominum genus, ſed inter honoratiſsimum nedum illi, verum & cæteri ſocii, hiſtriones nempe, quibus nemo non delectatur? Satis enim eſt probare, quod *Commodus* illos in honore habuit, ut magis cuiquam, Romanæ Hiſtoriæ perito, perſuaſum ſit, non modo ex fæce, ſed ex infimâ, populi, gladiatoriam familiam conflatam fuiſſe. Anne *Commodus* unus fuit ex Imperatoribus illis, qui Romanam Rempublicam cum laude rexerint? Audiamus enim, quæ de eo nobis exhibet ex *Capitolino*, & *Lampridio*, *Henricus Brencmannus de Fatis calumniatorum ſub Impp. aſt vero Commodus Marci Antonii filius, & ſucceſſor, bis moribus fuit, ut nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus harenarius, nullus poſtremò ex omnium dedecorum colluvie concretus, jamque a pueritia adeo patri diſpar, ut multi ſpurium dicerent*: ejuſdemque *Commodi* ortum, vitam, & interitum, nemo tam apte brevibus complexus eſt verbis, quam *Auſonius* in *Cæſaribus*.

Commodus inſequitur pugnis maculoſis arenæ
Threcidico princeps bella movens gladio,
Eliſo tandem perſolvens gutture pænas,
Criminibus faſſus Matris adulterium.

Adeo demum damnabilis fuit illius vivendi ratio, ut nomen quoque ſuum ex omnibus, tum privatis, tum publicis monumentis eradendum *Cingius Severus in Senatu cenſuit*; ex *Lampridio* ita ſcripſit poſt alios *Maffejus* in *Muſeo Veronenſi pag.* 1003.

XXV. Parum profecto aberat, quin hic animadvertere prætermitteremus, quod quemadmodum verum eſt, *Commodum* ipſum appellatum fuiſſe *Paulum*, eundemque *Paulum* famoſiſſimum gladiatorem extitiſſe, ut in Commentario

legi-

legitur; ita veriſſimum fortaſſe erit, gladiatores haud ignobile hominum genus fuiſſe. In codice enim *Palatino Hiſtoriæ Ælii Lampridii* loco verbi *Paulus* extat *Palus*; & ita legendum jandiù ex *Dione* docuerunt doctiſſimi viri, ait *Claudius Salmaſius in notis n.* 34. Qui quidem præſtantiſſimus auctor aſſenſum quoque præſtare haud potuit iis, qui, *palum* contendebant, dictum fuiſſe *Commodum* ex nomine cujuſdam gladiatoris, jam defuncti; ex eo quia *Lampridius*, ſive ex *Dione*, ſive ex alio id excerpſerit, non fuit veritus Græcum preſſius ſequi, & proindè ex πρωτόπαλος σεκουτόρων, ut legitur apud *Dionem*, vertit ille, *Palus primus ſecutorum*. Hinc *Hermannus Samuel Reimarius* in noviſſima *Dionis* editione *Hamburgenſi* adnotat, quod *palus* à πάλη luctatore, ſeu pugnatore dictus ſit, & quemadmodum αντιπαλος adverſarius, ισυπαλος æqualibus viribus pugnans, ita προτόπαλος σεκουτόρων præcipuus pugnator ſecutorum intelligendus ſit, ut *Lampridius* ab imperitia omnino liber evadat, & explicatio *Dionis* lectioni non ſollicitatæ probe conveniat.

XXVI. Videndum modo reſtat, quotquot ſint, qui gladiatores viliſſimum genus fuiſſe, nobis haud oſtendant. *Pignorius de Servis* ait, *reliqui ſunt Artifices, è quibus Dominus voluptatem modo conſequi, ſed & lucrum facere, operas eorum locando, conſueverat, gladiatores, agitatores &c.* At ad priſcæ ætatis ſcriptores gradum revocemus; *Aſconius* in argumento ad *Milonianam*, *ſequebatur*, ait, *magnum ſervorum agmen, inter quos gladiatores quoque erant*. *Juvenalis* verò *ſat.* 8. *verſ.* 200. aptiſſimè ad rem facit, dum *ſugillat*, ut legitur inter *notas variorum*, inſignis nobilitatis Romanæ dedecus, ac palmarem infamiam; ex eo quod nobiles viri non in ſcenis tantum, & theatris, hiſtriones, & mimos gererent, verum etiam in arena gladiatoria ſe exercerent, atque ex infami illa exercitatione gloriam aucuparentur, juxta *Galliachum in diſſert. de Gladiatoribus*: en verba *Juvenalis*.

Dedecus Urbis habes: nec myrmillonis in armis
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce ſupina,
Nec galea faciem abſcondit.

& in

& in *Satyr.* II. *verſ.* 143. eoſdem nobiles redarguendo, quod honeſta depoſita toga, tanquam infames (*Brittanicus* adnotat) tunica uterentur, & gladiatores eſſent, exponit, turpius eſſe hoc monſtrum, quam illud, de quo paulo ante verba fecerat, virum, nempe, viro nubendi:

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi,
Luſtravitque fuga mediam gladiator arenam.

Quid plura? idem *Juvenalis* in *Satyr.* VI. *verſ.* 216., cum, nec viliſſimis hominibus interdictum eſſe, aſſerat, teſtamentum conſtituere, illos enumerando, lenones recenſet, & laniſtas, iiſque adjicit & gladiatores.

Teſtandi cum ſit lenonibus, atque laniſtis
Libertas, & juris idem contingat arenæ.

Oſtendit quoque nobis *Cicero in Verr. 5. cap. 62.* gladiatores longè inferiores ſcurris fuiſſe, *qui ſe ſcurram improbiſſimum exiſtimari vult, qui à ſcurris potius gladiator, quam ſcurra appellatus ſit. Prudentius lib. 2. adverſus Symmachum.*

Jam ſolis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

& in *lib.* 2. contra eundem, dum exemplum affert hominis præſtantiſſimi, & è contrario viliſſimi, ait,

Non nego communem cunctis viventibus uſum
. . . .
. . . . *nec alter*
Ore Sacerdotis, quam Myrmillonis
Anhelat ſpiritus.

Quintilianus in Declamatione IX. *pro filio contra Patrem*, ita ait: *Gladiator fuit, quare amicus illius fuiſti?* appellat quoque arma gladiatorum *ſervilia*, eorumque mortem *ignominioſam*; deinde, *noli me æſtimare mea fortuna pater, non habeo gladiatoris animum*; ac demum, *illa certum habeo, expectas.*

pectas, ut dicam, morabar inter ſacrilegos, incendiarios, & quæ gladiatoribus una laus eſt, homicidas incluſos turpiore cuſtodia, & ſordido cellarum ſitu. Verba illa *Terentii* act. 5. ſcen. 7. verſ. 71. in *Phormione*: *Gladiatorio animo ad me affectant viam* cum explanare conatur *Joannes Fridericus Gronovius in notis*, editis *Oxonii* 1750. *pag.* 215. *num.* 54., ait, *hoc eſt animo plane deſperato . . . & ipſa voce gladiator pro convitio utebantur in homines audaces, & facinoroſos*; addit poſtremo ad ſuam ſententiam firmandam verba *Cicer. in Philipp.* 2. *cap.* 29. *Proficiſcitur in Hiſpaniam Cæſar, ne tu quidem ſequeris, tam bonus gladiator rudem tam citò accepiſti?* & nos monet, *quod honeſtius dixiſſet, tam bonus miles, tam citò vacationem accepiſti, ſed voluit conviciari*. Ita paſſim apud Auctores omnes præſtantia illa gladiatorum, de qua fit ſermo in ſæpius laudato *Commentario*, celebratur, & viliſſima, vel potius nequiſſima, eorumdem qualitas deſcribitur.

XXVII. Nec refert quicquam, quod labes hujuſmodi gladiaturæ procedente tempore infecit etiam equites, & ſenatores, ut alibi innuimus; & idcircò gladiatores viliſſimum genus hominum non fuiſſe, dicendum ſit: nam alii Principibus rem gratam facturi, aliique bonorum omnium naufragio tandem ad gladiatoriam, velut ad portum, deſperatione rerum appellebant, refert *Nicolaus Galliachus* ex *Seneca*, qui *aſpice*, inquit, *illos juvenes, quos è nobiliſſimis domibus in arenam luxuria conjecit*: ex *Tacito* de *Nerone* habetur *Annal. lib. xiv.*, *notos equites Romanos arenæ promittere ſubegit donis ingentibus, niſi quod merces ab eo, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis affert*. Et etiamſi dicere velimus, id ſponte ſua ob ſolam animi voluptatem, nec Principis imperio, nec neceſſitate cogente; ab hujuſmodi perſonis actum fuiſſe; nihil omnino officere, quiſque dijudicabit, cum præ oculis habuerit ea, quæ modo tranſcribimus *Tertulliani* verba *de Spectaculis n.* 22., *quadrigarios ſcenicos, Xiſticos, Arenarios illos amantiſſimos, quibus viri animas, fœminæ, aut illi etiam corpora ſubſternunt, propter quos in ea committunt, quæ reprehendunt; ex eadem arte, quam magnifaciunt, deponunt, immo manifeſtè damnant ignominia, & capitis minutione; arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite,*

cæteriſque honoribus omnibus ſimul, ac ornamentis quibuſdam. Quanta perverſitas! amant, quos multant, depreciant, quos probant, artem magnificant, artificem notant. Florus etiam *lib. 2. de geſtis Romanorum cap. xix.* artis gladiatoriæ turpitudinem deſcripſit, cum ait, *hactenus populus Romanus pulcher, egregius, ſanctus, atque magnificus, reliqua ſæcula, ut grandia æque, ita vel magis turbida, & fœda... quippe qui Jugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis, atque Germanicis, quibus cœlum ipſum gloria aſcendit, Gracchanas, Druſianaſque cædes, ad hæc ſervilia bella miſcuerunt, & ne quid turpitudini deſit, gladiatoria.* Ex recentioribus audiamus *Borellum in de Magiſtrat. edictis lib. 2. cap. 8. num. 63. 64. dum verò Mercurialis dicit, ipſum autumare etiam viros Nobiles & graves eodem gladiatoris munere functos, quia Commodus, ac alii, ut Lentulus Capuæ, qui gladiatores alebat, & C. Terentius Lucanus 30. gladiatorum paria per triduum in foro exhibuerit, ex Plinio lib. 35. cap. 2. non accedo ejus opinioni, ex quo etſi Commodus id fecit, tamen illi vitio tributum fuit, ſic alere, & exhibere gladiatores non eſt digladiari.*

XXVIII. Oportet nunc, ut gradum faciamus ad cætera, quæ arbitrio ſuo *Commentarii* Auctor è *Muratorii* ſententia infert. *Muratorius* enim, tantummodo viliſſimum genus hominum arenarios fuiſſe, ait; & ille proſequitur, igitur, & Collegio indignum eſſe, cenſuit; fortaſſe an in mentem aliquando *Muratorio* venerit, palam aſſerere, neſcimus: at nobis, inficiari haud poſſumus, utique nunc in mentem cadit. Et primùm nihil officit, quod Collegia illa *Ambubajarum*, quæ apud *Horatium* leguntur, in medium proferantur, ut pateat omnibus, viliſſimorum quoque hominum Collegia extitiſſe. Nam præter id quod non ſatis conſtet, quid ſibi velit *Ambubajarum* vox, cum non una tantum in ſententia conveniant *Venuſini* Poetæ interpretes; hinc *Lambinus* ait, *ego ambubajas non mulieres, ſed* αὐλητὰς, *ideſt tibicines quoſdam barbaros, aut certè à barbara voce AMBUB, quæ tibiam ſignificat, appellatos eſſe dico; Petrus Gualterius Chabotius* adnotat, quod *Grammatici non mediocriter laborant de ratione hujus vocis afferenda, quamobrem ita nominetur.* Collegii nomen a Poetis interdum uſurpatur pro deſi-

gnanda

gnanda multitudine; ſeu copia aliqua perſonarum, & aliquando pro conventiculo eorum, qui circa idem ſtudium verſantur, ut animadvertit *Aſcenſius* in *Horatium*. Ita & *Apulejus lib.4. de Aſino Aureo* hiſce verbis, *nec paucos fortiſſimi Collegii ſolers ſpecies ad munus obeundum arrexerat*, de latronum Collegio loquitur; in lib. VI. de iiſdem latronibus ait quoque, *nec ſectæ Collegii*. Hinc *Beroaldus* in *Commentariis* recte animadvertit, *Collegium intelligit latrocinale, cujus ſecta, & decreta, nil aliud ſunt, quam nefas, & ſævitia, ſanguinanteſque ſententiæ*. Sub nomine vero Collegiorum, quæ priſcis Romæ temporibus extiterunt, intelligimus coitiones illas ſolemnes, & publicas, quibus præſertim publica auctoritas acceſſit, & communis utilitas conjuncta fuit. Quædam enim fuiſſe illicita Collegia, non negamus, at ea collegiorum numero, quiſnam fateri poterit, eſſe adnumeranda? ex *Sigonio in vol.2.* verba *Aſconii* in *Cornelianam* habentur, *frequenter*, nempe, *cœtus factioſorum hominum ſine publica auctoritate malo publico fiebant, propter poſtea Collegia SenatusConſultis, & legibus publicis ſunt ſublata, præter atque certa, quæ utilitas Civitatis deſideraſſet, ut fabrorum &c.*

XXIX. Et ulteriùs, quamvis nòs haud lateat, a doctis viris non omnino probari noſtratium rerum cum antiquis collationem; attamen, quia non in rebus omnibus id verum eſſe, edocemur, libenter hic pedem ad hæc noſtra tempora convertimus, ut magis firma noſtra pateat ſententia. Sodalitates, indubium eſt, quod apud nos exſtent, vulgo *Compagnie* dictæ, quæque fortaſſe non abſimiles ſunt Collegiis *Opificum*, *Numinis Auguſti*, *Collibertorum Dei Silvani*, *Æſculapii &c.*, quorum mentio occurrit in antiquitatum Romanarum monumentis. Sub eodem vulgari nomine, *Compagnie*, appellantur illæ *Hiſtrionum*, quæ Romam quotnis, & alibi, ſe conferre ſolent ad fabulas, in theatris agendas. Hiſce noſtris temporibus ſatis profectò conſtat, quantum hæ ab illis diſtent: at ſi labente tempore, quæ res modò vigent, poſterorum ſubtrahantur aſpectu, aſſurget ne fortaſſe, qui abdita rerum monſtrare velit, & ex hac, quam hodie retinent, nomenclatura, *Hiſtriones*, audebit ne contendere, ut cæteros, vel opifices, vel ſacris peculiariter addi-

E 2 ctos,

ctos, ſodalitium habuiſſe? *Apulejus in lib.3. de Aſin. Aur.*, cum ſui ipſius in aſinum fabuloſæ immutationis hiſtoriam recenſet, ait *dumque de inſolentia Collegarum meorum mecum cogito*, Collegas ſuos vocat jumenta, aſinum nempe & equum, tanquam in eodem magiſterio conſociatos; dicendum idcircò eſſet, Aſinos, & cætera Jumenta, Collegium aliquando conſtituiſſe.

XXX. Age nunc ad veritatem magis referamus animum. Quæ ſemper & ubique familia gladiatorum appellata reperitur, ex eo quia, vel ex ſervis, vel ex libertis, quibus omnibus *familiæ* nomen dabatur, conflata potiſſimum erat coitio, nil mirum, quod ſub *Commodi* auſpiciis glorioſum Collegii nomen uſurpaverit, nec deinde inter innumeras, quas hac noſtra ætate habemus, inſcriptiones, de hujuſmodi Collegio exigua mentio appareat. Dolendum quoque non eſt, quod ætas hiſtoriam *Maximi* non tulerit, & idcircò *Commodi* geſta deliteſcant, gladiatorumque Collegii memoria interciderit: nam de hiſtoria *Marii Maximi Muratorius* etiam ait, eam injuriâ temporum deperditam fuiſſe; at non inficiatur, illam tempore *Lampridii* extitiſſe; qua de re ſaltem ab eodem *Lampridio* poſteris hujus Collegii memoria demandata fuiſſet. Ex his omnibus, uſque adhuc recenſitis, fateri unuſquiſque optima ratione poteſt, coitionem hanc, *Dei Silvani* cultricem, Collegii nomine appellatam, *familiam gladiatorum Commodi* fuiſſe: & quemadmodum hic & *Herculis* nomen uſurpabat, immò *Herculem* pingi, fingi, ſe voluit, ut *Lipſius* ait *Saturn.lib.2.cap.23.*; quia gladiator; ita & illam, vel Principis juſſu, vel, ut ejuſdem genio indulgeret, Collegii nomen uſurpare non puduit. Nemo eſt, qui ignoret, cujus dementiæ fuerit *Commodus*: teſte *Lampridio*, *Capitolinus* inquit, *Urbem Romam Coloniam Commodianam vocari voluit*; in nummis ſe *Herculem Romæ conditorem* declaravit, ut legitur apud *Michaelem Angelum Cauſeum* in *Theſaur. eruditæ antiquitatis vol.1.pag.20. tab.28.*, qui etiam ex eodem *Lampridio* tranſcribit, *quod accepit ſtatuas in Herculis habitu, eique immolatum eſt*, *ut Deo*. Mirum proinde fortaſſe non erit, quod gladiatorum turba tunc temporis ſub Collegii nomine in lucem prodierit, non tamen cum deſignatione *gladiatorum*, ſed numinis *Silvani*.

XXXI.

XXXI. Et quia nobis quoque innoteſcit, alicubi exſtare inſcriptionem aliquam, qua apparet, Collegia quædam non opificum appellationem habuiſſe, prout illa *fabrorum*, *aurigariorum*, *carpentariorum*, ſed alicujus numinis, prout eſt præſertim Collegium *Æſculapii*, de quo agitur in *ſect.* 2. *artic.* XI. *Miſcellan. eruditæ antiquitat. Sponii*. At ea ad res ſacras Romanorum referuntur; & proinde ibidem animadvertitur, quod dictum Collegium *ſocietas erat* LX. *hominum, quæ certis anni diebus eam ædiculam confrequentare, in eaque ſacrificare, & epulari ſolebat*. Eapropter non omninò ſpernenda occurrit conjectura, quod ſocietas hæc gladiatorum non ipſam gladiatoriam artem reſpiciebat, ſed tantummodò *Silvani* cultrix fuerit: itaut gladiatores illi, in ea deſcripti, religionis cauſa congrediebantur ad numinis *Silvani* majeſtatem colendam. Et idcircò inter Collegia, quæ pro artibus exercendis, ritèque ſervandis, uſque & a *Numa* Rege inſtituta fuerunt, Collegium hoc *Silvani*, quod contra mentem auctoris litterati lapidis, de quo agitur, ſpecioſo *gladiatorum* titulo appellatur, recenſendum haud eſt.

XXXII. Quæ quidem omnia, ſuperiùs expoſita, nequeunt non luculentèr prodere, quod ſatis aptè demonſtrari non poteſt, gladiatores revera artifices fuiſſe, vel ex *chronic. Alexandrin.*, vel ex *Paneg.* incerti auctoris ad *Conſtantinum*, quia ibidem *Artifices* appellantur, & potiſſimum in dicto *Panegyr.* edito, ac recognito inter alios nonnullos a *Paulo Navio*, *gaudere cuncti ſpectaculorum mora*, *& familiaribus ſibi artificibus ob hoc ſolum favere, quod te præſente certarent*. Præter id enim, quod ex Auctore eruditiſſimarum *Obſervationum rei litterariæ*, *edit. Veronæ* 1739. *vol.*4. *pag.*84. habetur, nempe, *il nome di Artefici pare che ſi uſaſſe talvolta per tutti gli operatori ne' Spettacoli, così dal conteſto preſſo Feſto, ove ſi dice, che i Romani non ſi ſervirono da principio di Artefici, ma, che quando cominciarono a celebrar giuochi, allora dalle Città Etruſche gli preſero*. Verbum *Artifex*, ecquis ignorat, quod tam latè pateat, ut non modo pro eo, qui artem aliquam exerceat, ſumatur, verum pro ſciente, & perito, ac etiam pro auctore rei alicujus? Non idcircò, cum legimus apud *Ciceronem*

de

de Univerſ. cap.3. Deum Artificem Mundi, apud *Lampridium de Commodo, jam in his Artifex, quæ ſtationis Imperatoriæ non erant*, & omnipotentem Deum, & Imperatorem Commodum, inter Artifices accenſere poſſumus. Sub nomine Artificum, unicuique ſatis exploratum eſt, ſemper, ac primario loco illos veniſſe, qui non voluptatis tantum, ut hiſtriones, & fortaſſe etiam gladiatores, ſed utilitatis artifices ſunt, artem, nempe, exercent, qua omnis Reſpublica juvatur, prout fuerunt *ſutores*, *carpentarii*, *tignuarii*, & cætera opificum genera, quæ humanæ vitæ commoda reſpiciunt.

XXXIII. Nec opus eſt, ut ea de re interpretatio detrectetur *Budæi*, *&* *Pancirolli* ad fragmentum *Tarrunteni Paterni*, (quod *Dionyſius Gothofredus T. Aruntenum*, fortè legendum putat, neſcimus tamen, num rectè, vel nè; cum nullam exhibeat anctoritatem) *de re militari*, tranſcriptum in *leg. vi. Dig: de Jure Immunitatis*. In ea enim legitur, quibuſdam aliquam vacationem ob munerum graviorum conditionem tribuendam eſſe; & poſtquam adnotantur nonnulli, militiæ ſervitiis addicti, recenſentur deindè *gladiatores*, *aquilices*, *venatores &c.* Clariſſimi viri modò laudati, vocem *gladiatores* interpretantur *gladiorum artifices*: Hinc *Gulielmus Budæus* præſertim *in annot. ad Pandectas* ait, *gladiatores hic, ſi verbum mendoſum non eſt non μονομάχοι ſunt ſed μαχαιροποιοι, hoc eſt gladiarii, & telorum artifices*. Et, ſi *Commentarii* Auctor, vel quivis alius, ut ſuam tueatur ſententiam, id nobis, vel cuilibet, ob oculos proponat, interpretes non omnes in eam convenire interpretationem; libenter reponimus, quod donec, & quouſque, qui ſint, non laudabit, liberè, & confidentiſſimè aſſerimus, neminem unquam fore inter tot, quibus juriſprudentia noſtra abundat, interpretes, qui gladiatores ibi *μονομάχοι*, non *gladiorum artifices*, fuiſſe contendat, dummodò tamen aliquam exceptionem non patiatur, tenebricoſiſſimi, nempè, illius ævi, in quo ignoratio rerum non adhuc exulabat. Nemo erit, inquam, qui gladiatoribus, hoc eſt in ludo pugnantibus, affirmet, immunitatem munerum tributam fuiſſe: ſecus enim, jure gentem omnem, cujuſcumque qualitatis extitiſſet, immunitate donatam fuiſſe, dice-

dicere libenter quiſque poterit. At agnoſcat, ſi quis in animo habeat, ex eadem lege *Venatores* immunes cenſeri; nec tamen ea ſub voce, vel ferarum, vel avium venatores, cum ſatis conſtet ex *leg. Venatoribus Cod. de excuſation. Artificum*, quod iiſdem *immunitas ob hunc profeſſionem nullo jure conceſſa probari poteſt*, ſed Venatores illos intelligi, quibus Romana militia erat inſtructa. Si verò præter *Budæum*, & *Pancirolum*, aliud quis exoptaret pro interpretatione, de qua agitur, teſtimonium; ex interpretibus juridicis addimus *Gothofredum* ſuperiùs laudatum, ex aliis verò, & præſertim ex iis, qui de gladiatoribus data opera diſſeruerunt, exhibemus *Lipſium*, qui 1. *Saturnalium* 7. fatetur, *ibi gladiatoris vocabulum propriè uſurpari*, *ſed parum uſitate*. Prout igitur tot ſummi viri ſe acquieverunt, ita & poteſt quilibet, ſe quieſcere in tam, ut ajunt, *inuſitata vocis illius ſignificatione*. Nec ſane opus eſt, ſapientiſſimi *Gothofredi* ſententiam idcircò omnino contemnere: ille enim aſſeruit, in dicta lege agi de re militari, & militares proindè artifices in ea contineri; prout reverà eſt, & *Pancirolus* ipſe in *de Corporibus Opificum* fatetur, tantummodo animadvertens, quoſdam dicta in lege numerari, qui artifices ſunt, quoſdam vero qui non ſunt, attamen omnes militiæ uſui addictos. Hinc, ſi *Commentarii* Auctori videatur, legem jam dictam ad omnia generatim artificum corpora reſpexiſſe, argumento *leg.* 16. *Cod. Theodoſ. & tot. tit. Codicis Juſtinianei de excuſat. Artificum*, cuicumque, has omnes leges cum illa conferenti, planè non liquet: & ſufficit etiam, quod titulus obſtet, quod ea, nempe, a libro *Paterni* de *Re Militari* deſumpta ſit.

XXXIV. Nec refert, quod aliquando gladiatores militiæ adhibiti fuerint, vel in prælio depugnaverint, proindeque in medium producantur *Tacitus in Annal. & in Hiſtoria*, *ac Capitolin. in M. Aurelio*: nam datur neceſſitati venia, neceſſitas impulit quippe Romanos, ut illis uterentur tunc temporis. Apud eundem *Tacitum* idcirco legitur *hiſt. lib. iii.*, cum gladiatoribus urbanam etiam cohortem in auxilium datam fuiſſe. Et ex eo deſumendum haud eſt, illos tamquam militares artifices immunitate donatos fuiſſe: quod magis firmari cenſemus, cum in eodem

dem *Tatito hiſtor. lib. ii.* legamus verba illa, *at deforme inſuper auxilium duomillia gladiatorum*. Hæc omnia ex *Tacito* liquent. Ex *Capitolino* verò in *M. Aurelio* habetur, inſtante adhuc peſtilentia, non gladiatores tantum, ſed & ſervos illum ad militiam paraſſe, quos *voluntarios* appellavit, & *latrones* etiam *Dalmatiæ*, atque *Dardaniæ milites* feciſſe, armaviſſe & *Diogmitas*, emiſſe Germanorum auxilia contra Germanos, & omni diligentia paraviſſe legiones ad *Germanicum*, & *Marcomannicum* bellum, & demum auctionem feciſſe rerum aulicarum in *foro Trajani*; & præter veſtes, & pocula, & vaſa aulica, etiam ſigna cum tabulis magnorum artificum vendidiſſe. Ex his igitur cui non innoteſcit, neceſſitate cogente Gladiatores Militares fuiſſe; & eapropter in libris veterum de *re militari* nullam eorumdem mentionem fieri, cum agitur de legitima exercitus ordinatione.

XXXV. Inuſitatam denique, ſi ille afferat, eſſe vocis hujuſmodi *gladiatoris* notionem pro *gladiorum fabris*, ex eo quod *gladiatores* in libris veterum dicantur, qui pugnabant in ludis; quid ſanè diceret, ſi vocem *gladiatoribus* pro tempore eo, quo certarent gladiatores, elegantèr uſurpatam fuiſſe ex *Aſin.* ad *Ciceronem lib.* 10. *ep.* 32. animadverteret? quid, ſi *gladiatorem* pro ſicario apud *Ciceronem* expreſſum recognoſceret in *Cat.* 2. 4. *&* *pro Sex. Roſcio* 3. *Famil.* 12. 2. *&* 22.? quid ſi in *Philipp.* VII. verba illa percurrat, *Gracchorum potentiam majorem fuiſſe arbitramini, quam hujus gladiatoris futura ſit? quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius appellari ſolet, ſed ut appellant ii, qui plane, & latine loquuntur?* E' quibus verbis patet, *M. Antonium* appellatum gladiatorem, tanquam facilè in quempiam gladios nudantem, etiamſi nuſquam gladiator profeſſione fuiſſet, *Lucium* verò feriò, & verè gladiatorem dictum latinè loquendo, hoc eſt apertè, & abſque ulla obſcuritate, & circuitu, ut adnotat *Maturantius*. Et revera ipſemet *Tullius* in *Philipp. III. cap.* 12., gladiatorem eadem in priori ſignificatione accepiſſe, videtur, cum ait, *ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore Imperator, quas fecit ſtrages, ubicumque poſuit veſtigia*; itaut *mirmillonem*, notiſſimam gladiatorum ſpeciem, a gladiato-

ribus

ribus diſcriminaverit. Apud *Apulejum lib.* 11. *de Aſin. Aur.* legitur quoque *gladiatoriæ Veneris antecænia*. Ex hujuſmodi fortaſſe exemplis, cæteriſque aliis, quæ nemini quippe ignota erunt, id deprehendere facillimum eſt, vocem *gladiatores* non adeò eſſe addictam pugnantibus in ludo, ut, ſi eam pro re alia uſurpatam cernamus, tanquam inuſitatam confeſtim, & deindè, utpotè non veram, alteram ejuſdem vocis ſignificationem damnemus. Nam juxtà ſententiam *Beroaldi in Comment. ad Apulejum lib.* v. *Ingens copia eſt rerum ſine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, ſed alienis, ut canem, & venaticum, & marinum, & cæleſtem dicimus, ſic pedem & noſtrum, & lecti, & carminis; mutuamur enim aliena, quotiens ſingulis ſingula aſſignare non poſſumus.*

XXXVI. Accedamus nunc ad cætera inſcriptionis verba eodemmet ordine, quo laudatus *Commentarii Auctor* procedit. Verbum INITIALES primos interpretatur, *Apulei* in *lib.* xi. *Metamorph.*, ſive de *Aſino*, auctoritate ſuffultus, *rerum natura parens, elementorum omnium domina, ſæculorum progenies initialis*: & ſi hoc uno contentus haud eſſet, extant & alia in eodem *Apulejo* ejuſdem vocis teſtimonia, *lib.* iv. *num.* 9. *en rerum naturæ priſca parens, en elementorum origo initialis*, necnon in *Apologia, num.* 12. *totius rerum naturæ cauſa, & ratio, & origo initialis*. Ex priori allato teſtimonio ſibi blanditur ille, gladiatores, in marmore deſcriptos, cenſendos eſſe principales Collegii: quod & magis explicat in expoſitione alterius lapidis, *pag.* xxvi., cum ait, *ordo Decurialium, ſeu ipſorum initialium, vel principalium Collegii, qui veluti magiſtratuum loco erant.* Qui verò rem, ut par eſt, introſpiciat, affirmare haud poteſt, quod ſocietas illa, è tot conflata tironibus, corpus *Principalium*, ſeu magiſtratuum ſodalitii Silvani conſtituere debuiſſet. Accedit etiam, quod hujuſmodi Sodalitium, præter morem cæterorum, magiſtratibus tantummodò conſtaret abſque ſodalibus. Hinc, quæ eidem valdè non ablanditur, conjectura amplectenda potius eſſet, *initiales*, nempe, intelligi *initiatos*, nunc primum *Collegio Silvani* addictos: Et revera *Facciolatus* in *Lexico* (de quo *Mazochius*, acerrimus rerum hujuſmodi æſtimator, in de *Dedicat. ſub Aſci-*

 num.

num. XXVIII. ait ; *nihil accuratiùs , ac limatiùs vidit La-tium*) in verbo *initialis* , dum *Apulei*, quam priori tranſcri-pſimus loco , auctoritatem exponit , addit ad *initium perti-nens* : quod etiam ex reliquis, allatis ſuperiùs , *Apulei* auctori-tatibus magis , magiſque liquet ; adeò ut , primam originem gladiatores illos dediſſe Silvani ſodalitio , tanquam primò adſcriptos , dicendum ſit . Nam Collegii inchoationem ex adſcriptione nominum in Decurias eveniſſe , ſatis quoque probatur è lapide illo apud *Sponium* , *ſect.* 2. *art.* XI. , in quo, poſtquam *nomina* eorum , qui *Decuriis adſcripti erant*, infra adnotata fuerunt , additur

QVI . HOC . COLLEGIVM . DD.
IMP. CAESARE . VESPASIANO
CAESARE . AVG. F. VESPASIANO COS.

Itaut Sodales incerti illius Collegii , adſcriptione ſuorum nominum in ejuſdem decuriis , videantur Collegium dedi-caſſe , hoc eſt inchoaſſe , juxta receptiſſimam eruditorum ſen-tentiam .

XXXVII. Nec utique credendum eſſe,exiſtimamus,Col-legium hoc *Silvani* generale fuiſſe , ut in Commentario legi-tur . Nam, præterquamquod , ut diximus , è multis tironibus conflatum eſt , in lapide nulla ſit mentio *laniſtarum* , qui *Do-ctores* etiam appellabantur , & tirones in gladiatoria arte erudiebant ; nulla apparet diſtinctio inter gladiatores *poſtu-latitios* , *privatos* , & *fiſcales* ; nec de *catervariis* , *meridia-nis* , *ſuppoſititiis*, *ſecutoribus* , *buſtuariis* , & cæteris hujuſmo-di , aliqua exſtat memoria . *Medicos* quoque habebant gla-toriæ familiæ , prout legitur in Inſcriptione illa :

SILVANO SANCTO
C. ASTVRNIVS
MEDICVS LVDI GALLICI
PORTIC. ET EXEDR. &c.

Et teſtatur ipſemet Cl. Auctor Commentarii *pag.* VII. In hac tamen , de qua agitur inſcriptione, neque de iis quicquam le-gitur . Si utique generale Collegium gladiatorum fuiſſet , om-nium mentio ibidem fieret . XXXVIII.

XXXVIII. Collegii etymologiam exponere, ejuſdemque qualitates, & privilegia, libenter prætermittimus, cum ſatis in Commentario hac de re actum ſit. *Aurelianum* verò idem Collegium dictum fuiſſe, ibi animadvertitur, quia ab *Aurelio*, ut gladiatorum principe, dicatum fuit. Revera *Fabrettus in cap. 6. num. 23. pag. 473. & 74. Inſcript.* demonſtrat ex inſcriptione illa, quæ ab ipſomet ibidem tranſcribitur, & incipit =*Silvano Flaviorum Caſſianus Titi Flavii Auguſti Libertus* = numina frequentèr dedicantium nominibus fuiſſe inſignita; & proindè credidit fortaſſe, ideo *Silvanum Flaviorum* dictum, quia à *Caſſiano*, *Titi Flavii Auguſti* liberto, facta fuit dedicatio. Ita *Commentarii* Auctor, *Silvanum Aurelianum* dictum arbitratur ex eo, quod ejuſdem dedicatio *M. Aurelium*, *Auguſti libertum*, habuit auctorem.

XXXIX. Hac in re, ut veritati, quantum fieri poteſt, propiùs accedamus, nonnulla prius repetenda ſunt, quæ ad *Deum Silvanum* pertinent. Et primum de eodem *Silvano* in eruditiſſimo *Commentario* legitur, quod ſit idem ac *Pan*; ita enim ſummæ auctoritatis homines etiam arbitrantur. At poſt *Salmaſium* in *Exer. Sol. cap. 31.* Auctores operis, *Marmora Taurinenſia Diſſertationibus, & notis illuſtrata, part. 1.* nonnullis Poetarum, & Hiſtoricorum teſtimoniis, evincunt, cum *Pane* haud quaquam confundi debere: addunt & lapidum quoque teſtimonia; è quibus itidem diverſum horum Deorum genus, ſatis, ajunt, probari videtur. Nec idcircò, litem hujuſmodi diremptam jam eſſe, cenſent. His præmiſſis ad alia nunc tranſeamus: & nè quis objicere poſſit, Deum hunc ab Agricolis veneratum fuiſſe, utpote ſilvarum præſidem, vel arvorum, finiumque, dominum, gladiatores contrà *Saturno*, & *Marti*, ſacros fuiſſe, proindèque alienam eſſe hujuſmodi Collegii dedicationem, a gladiatoribus, ſive ab eorum Principe, ut in *Commentario* legitur, numini *Silvano* factam; animadvertendum erat, quod fortaſſe illud *Silvano* dedicatum legimus, quia *Mars* etiam *Silvanus* dictus fuit, apud *Cat. de re ruſtica cap. 83.*, utpotè forſan in ſilvis cultus.

XL. Pròbandum utique eſſet, quod cum *Silvanus* a prudentioribus, juxta *Reineſii* animadverſionem, haberetur ὑλικὸς Θεὸς, hoc eſt *Deus* τῆς ὕλης, & *hyle* fæx eſſet omnium elementorum, ideſt ignis ſordidior, & aer, item aquæ, & ter-

ræ ſordidiora, unde cuncta procreantur, a latinis *materia* appellata, colebatur ab omnibus Artificibus, & proinde, juxta *Commentarii auctorem*, a Gladiatoribus. Qui quidem *Reineſius*, cum oſtendit in *Regione Urbis V.* extitiſſe ſimulacrum *Herculis Silvani*, & Templum *Silvani*, & *Herculis* ſeparatim, animadvertit, quod *Silvanus*, tanquam dominator omnis ſubſtantiæ, modo *Marti*, modo *Herculi*, veluti cognomen apponebatur: & ex eo quia è fæce elementorum, unde cuncta procreantur, nomen ſortitus fuit, ob hanc virtutis prærogativam Collegia, & Sodalitates, eum veluti auſpicem, & conditorem, ſibi conſtituerunt.

XLI. Hæc omnia quodammodo conveniunt ad exponendum, qua de cauſa non *Marti*, non *Herculi*, Collegium, de quo agitur, dicatum fuiſſet, ſi gladiatores in Artificum numero habendi eſſent. Reſtat verò, ut ad trutinam revocemus ſententiam illam, quod *Silvanus* dictus ſit *Aurelianus* ab *Aurelio* gladiatorum principe. Ni fallimur, exiſtimandum potius eſſet, gladiatores illos, ſe cultui *Silvani*, Laris Domus Auguſtæ *Aurelii*, Patris *Commodi*, addixiſſe, & proinde *Silvanum* ab iiſdem *Aurelianum* appellatum fuiſſe. Nec *Reineſii* ſententia tanti facienda eſt; nam ſponte ſua cadit, quia ex inſcriptione, qua comprobare ſtudet, dedicantium nominibus numina inſignita fuiſſe, id non liquet; *Caſſianus* enim, *Titi Flavii Aug. libertus*, dedicat Silvano, non *Caſſianorum*, ſed *Flavianorum*, hoc eſt *Silvano Flavii*, cujus erat libertus. Et, ut noſtram, quam ſupra dedimus, ſententiam, aliqua ut par eſt, ratione muniamus, addimus, à rerum antiquarum inveſtigatoribus nos doceri, tres *Silvanos* cultos fuiſſe, *Agreſtem* unum, qui paſtorum, locorumque paſcuorum, pecoris &c. proprius erat; *Terminalem* alterum, quia, ut Terminus limitibus præerat, ita iiſdem terminis *Silvanus*; eumque idcircò *Horatius* in *Epodon od. 2.* appellat,

. . . . *& tu pater Silvane*
Tutor finium . . . .

Tertium verò *Domeſticum* appellatum, cui omnis poſſeſſio, ſeu manſio univerſæ familiæ cum ſuis appendicibus erat conſecrata, nihilque a Lare differebat: immò potiùs, ut animadvertit *M. A. V. N.*, non a Civibus Romanis tantum, ſed ab ipſis Imperatoribus inter Lares colebatur. De

Silva-

Silvano Domeſtico habetur inſcriptio apud *Gruterum pag.*64. *n.*12., & illuſtratur a Cl. Auctoribus Operis *Marmora Taurinenſia*, adnotantibus, *Domeſticum Silvanum* idem ſignificare, ac *Larem*, *Geniumque*, qui tecti, domus, & poſſeſſionis, cuſtos eſſet, ex eo quia *Lar etruſca voce præſtitem, ac principem ſignificat*; necnon *Silvanum Familiarem* etiam nuncupatum fuiſſe, qui domum cuſtodiret, Familiæque curam gereret. Dicendum igitur eſt, Collegium hoc noſtrum appellatum fuiſſe *Silvanum Aurelianum*, ex eo quod dicatum erat *Silvano* Lari *Aurelii*: Quem quidem *Silvanum*, *Aurelio* etiam propitium, crediderunt veteres, vel eundem *Aurelium* devotum numini, majeſtatique, illius, ut conjicere licet ex hac ſequenti inſcriptione, Romæ exiſtenti, & inter *Miſcellanea Sponii* tranſcripta.

PRO SALVTE
M. AVRELI . ANT.
FEL. AVG.
VILICVS . RISINVM
SILVANO . SAC.
IMP. CAESARIS
HADRIANI . AVG.
SER. VILICVS

XLII. Templum *Silvani* extitiſſe, è Commentario edocemur, *ad ima Viminalis*, atque etiam in *Aventino*: *M.A.V.N.* putat aliud extitiſſe ejuſdem numinis, ſive Templum, ſive Sacellum in litore Tiberis, & proinde *Silvanum littoralem* appellatum fuiſſe, ut *Juppiter Vimineus* ab ara in *Vimineto*, *Diana Nemorenſis* a *Nemore Aricino*, in quo colebatur. Miram deinde, *Commentarii* Auctor comprobare conatur, conſociationem *Herculis* cum *Silvano*; & ſanè, cum percurrimus antiqua monumenta, id ſtatim occurrit. Qua de re primùm ex *Reineſio* habetur, quod in *Regione Urbis V.* extabat ſimulacrum *Herculis Silvani*, ibidem & Templum *Silvani*, *& Herculis* ſeparatim, ut ſuperius diximus. Nedum verò *Herculis* cum *Silvano* conſociationem cernimus ex eiſdem antiquorum monumentis, ſed etiam nonnullorum aliorum Deorum. *Fabrettus in cap.* 2. *pag.* 401. teſtatur, in Nemore præ-

prædii nobilis matronæ *Paulæ de Matthæis* prope viam *Oſtienſem* fuiſſe veſtigia *Templi Silvani*, ac in latere dextero inſculptum extitiſſe ſimulacrum *Silvani*, *Dianæ* verò ad lævam. In collectione *Jacobi Mazochii*, edita *MDXXI.* extat ſequens inſcriptio, eamque collocatam fuiſſe, aſſerit, in *Regione Tranſtyberina*:

IOVI
HAMMONI . ET . SILVANO . P. STERTINIVS
QVARTVS

Nec deſunt alia monumenta, quibus appareat, etiam cum *Libero Silvanum* ſociatum fuiſſe: è marmore *Oxonienſi* habetur

SILVANO . HERCVLI . LIBERO
TI. IVLIVS . ALEXANDER . DO
DIIS . SANCTIS

ut legitur apud *Cuperum*, in collectione *Poleni vol. 2.* Et *Silvani* conſociatio cum nonnullis aliis numinibus patet quoque ex inferiùs tranſcribendis inſcriptionibus, inter *Miſcellan. eruditæ antiquitatis*, cura *Sponii* evulgata, exiſtentibus.

SILVANO . ET . MERCVRIO .
SACRVM &c.

MERCVRIO . SOLI
ET . SILVANO . SANCTISSIMO .
SACRVM &c.

DEO . SILVANO . ET . LIBERO .
PATRI . ET . NEMAVSI. &c.

SIVANO . PAN
ET . LIBERO . PATRI
INVICTO . SAC. &c.

IOVI . INVICTO
SILVANO. ET . HERCVLI .
GENIO . VRBIS
FORTVNAE . FEL. ANSACE
NVS . MIL. COH. VIII. &c.

Hinc

Hinc unuſquiſque ſat intelligit, non cum ſolo *Hercule* conſociatum fuiſſe *Silvanum*, ac proindè nullum deſumi poſſe argumentum, quod nempe gladiatores ea de cauſa *Herculi*, & *Silvano*, addicti, devotique fuiſſent.

XLIII. Ad Curatores M. AVRELIVM AVGVSTI LIBERTVM HILARVM ET CŒLIVM MAGNVM CRYPTARIVM tranſit *Commentarii* Auctor: & quamvis *Muratorius*, ut in eodem Commentario legitur, ſe neſcire fateatur, ſit nè cognomen, an *Cryptarum* ædificator, *Cryptarius*; attamen ipſe ait, quod *Magnus Cryptarius Præfectus Cryptariorum* ſuo judicio fuerit. Et quamvis, curatore eodem *Cœlio* exiſtente cum *Aurelio*, illum, credendum haud ſit, alterum exercuiſſe munus, & eò vel magis, quia in marmore gladiatores deſignantur tantummodo, non verò cætera, quæ fuerunt, gladiatorum miniſteria; attamen, quanam de cauſa ille aſſerat, *Cryptarium Præfectum Cryptariorum* fuiſſe, planè non liquet; fortaſſe ex *Crypta*, ubi arenam, in Amphitheatris immittendam, fodiebant veteres, dictum fuiſſe *Cryptarium*, cenſuit.

XLIV. Verba illa, quæ deinde ſequuntur, DEC. I. DEC. II. DEC. III. DEC. IIII, occaſionem exhibent *Commentarii* Auctori, probandi, Collegia in Decurias fuiſſe diſtributa, tum ex inſcriptionibus *Fabretti*, tum ex illis *Gruteri*, & *Muratorii*; necnon Decuriam propriè eſſe decadem, & aliquando Album, & Matriculam, deſignare. Inter cætera verò monumenta, è quibus Collegia in decurias diſtributa fuiſſe, conſtat, illud apertiſſimum eſt, quod habetur ex inſcriptione reperta *Aſpalathi*, vulgò *Spalatro*, in *Dalmatia*, de qua *Sponius in Miſcellaneis*.

AVR. QVINTIANVS . DEC. COLL.
FAB. ET . CEN.
QVI . VIXIT . ANN. P. M. L. M. V. D....
VIVVS . SIBI . POSVIT . ET . AVR . IAENVARIAE
CONIVGI . SVAE . COT. SI . QVIS . AEAM . ARCAM.
POST . MORTEM . EORVM . APERIRE . VOLVERIT
INFER. DECVRIAE . MEAE * XXV.

Lapi-

Lapicidæ incuriam, ſive inſcitiam, in deſcribendis nominibus III. & IV. Decuriæ, dum nobis ſapientiſſimè proponit *Commentarii* Auctor, animadvertit etiam, quod ſub Decuria IV. ſeptem poſtrema III. Decuriæ nomina reſtituenda ſint, nempe *Euporas*, *Felicianus*, *Felix*, *Pacan*, *Mariſcus*, *Sanctus*, *Pacan*, & quod unius perſonæ, ad abſolutam, completamque, reddendam eandem *Decadem* IV., nomen etiam deficiat. Infra tamen dicendum erit, quod ſi eidem Auctori liceat reſtituere dicta nomina IV. *Decuriæ*, ſiglam illam, ſive notam N̄, numerum IV. *Decuriæ* abſolvere, certum ſit.

XLV. Accedendum modò eſt ad verba illa, quæ nominibus, in Decuriis contentis, adjecta leguntur, quæque gladiatorum qualitates deſignant. Et poſtquam recenſitus Auctor rectiſſimè animadvertit, gladiatores in marmore occurrentes, *Threces*, *Hoplomachos*, *Eſſedarios*, *Retiarios*, *Mirmillones*, eoſque inſtar militum, vel *Tirones*, vel *Veteranos*, fuiſſe, nè in re nota, ac protrita, detineretur, quid ſibi dicere velint hujuſmodi gladiatorum ſpecies, petendum eſſe, docet, a *Lipſio*, *Pitiſco*, *Fabretto*, & *Roſino*, & etiam ab ipſo *Nieuporto*. Si quis enim credat, hujuſmodi ſpecies, quia notas, & ab aliis expoſitas, dignas haud eſſe aliqua recenſione, affirmare utique debet, cæteras gladiatorum ſpecies, *Manicarios* nempe, *Paegniarios*, & *Provocatores*, ſive earumdem voces, æque ac primas, mentem ſcriptorum occupaſſe. Patet igitur evidentiſſimè, vel omnes, in marmore deſcriptas, gladiatorum ſpecies, ſilentio prætereundas, vel quæ ad pleniſſimam illorum omnium diverſarum ſpecierum intelligentiam, majoremque lucem rei, de qua agitur, præſtandam, pertinent, omnia in medium eſſe proferenda. Quapropter liceat nobis, integrumque ſit, complura, quæ a propoſito ſanè aliena non ſunt, paſſim animadvertere.

XLVI. Et primùm, pauci homines, ait *M. A. V. N. in Antiquitatibus, ſacris, & civilibus, Romanorum, explicatis*, ignorant, veteres Græcos inveniſſe gladiatoria ſpectacula in honorem virorum principum mortuorum, ac hujuſmodi morem ad Etruſcos perveniſſe, ab iiſque Romanos accepiſſe, cum tamen *D. Junius Brutus* patri ſuo parentavit. Crediderunt veteres ita, effuſione, nempe, humani ſanguinis, mortuorum

tuorum manes placari : aliter poſtea ſe res habuit, populi delectandi cauſa à gladiatoribus deinceps pugnatum eſt. Et quamvis non deſint inter priſcæ ætatis ſcriptores, qui tradant, gladiatoriis ludis Romanos uſos fuiſſe, ut, ad bellum ituri, vulnera, & ſanguinem non perhorreſcerent, hoſtemque non timerent; id tamen conſultò traditum fuiſſe, credimus, nè Romanis, inter Mortales prudentiſſimis habitis, poſteri vitio verterent, immanitate efferatos extitiſſe. Nam indubium eſt, quod iidem Romani aliquando, ut cæteri Populi, infirmæ mortalium naturæ vitiis immunes haud fuerint. Clariſſimus *Du Mont* (ex abundanti dicamus) in ſupplemento *Corporis univerſalis Diplomatici*, *part.* 1. *art.*417. dum refert *Quinti Fabii Labeonis*, inter *Nolanos*, & *Neapolitanos*, arbitri, a Senatu finium conſtituendorum cauſa dati, & tranſcribit arbitratum, a *Valerio Maximo* hiſce potiſſimùm verbis deſcriptum : *conſtitutis deinde finibus*, *ut ipſi terminaverant*, *quidquid reliqui ſoli fuit*, *populo Romano adjudicavit*: *improbo tamen præſtigiorum genere novum Civitati noſtræ Vectigal acceſſit*, animadvertit gallico idiomate, *le peu de Scrupule*, *que faiſſit la politique des Romains*, *d'uſer des tromperies groſſieres*, *che le ſage d'entre eux n'ont peu s'empecher de condamner*. Et revera gladiatoria ſpectacula, quamvis a Patriciis etiam gladiatoribus confecta fuerint; ſi fides tamen *Juvenali* ſit adhibenda, laude quippe digna non fuerunt. Ille enim inſectatur etiam populum ſpectatorem, ut alibi quoque expoſuimus. Eapropter, ut infamiæ notam, quæ ex hujuſmodi ludis gladiatoriis omnino irrogabatur actoribus, everterent iidem Patricii, in gladiatorio ludo pugnantes perſonati incedebant, prout liquet è verbis illis *Dionis* : *Nero petente populo ab iis perſonas auferebat*, *eoſque patefaciebat omnibus*, *apud quos paullò ante Magiſtratus geſſerant*.

XLVII. Eorumdem gladiatorum apud Romanos triplicem fuiſſe, ait, conditionem *M.A.V.N.*, *hoſtium bello captorum*; *ſervorum*, & *voluntariorum*. Primi laniſtis vendebantur, ut eos in ludis erudirent; vel in numero *fiſcalium* gladiatorum recipiebantur. Alterum vero genus, ſervorum erat, ex ſervis nempe illis, qui è fuga vel retrahebantur, vel genio Patroni maledixerant. *Voluntarii* erant homines liberi, pretio ſe vendentes, auctorati dicti: jurabant in

 verba

verba *Laniſtæ*, uri, vinciri, ferroque necari, ut ex *Horatio*, & *Petronio* habetur. Hos inter gladiatores, nobiles, ſive cæteris præſtantiores, quidam cenſebantur: hinc *Cicero in Philipp.* 3. *n.* 14., *quod ſi jam (quod Dii omen avertant!) fatum extremum Reipublicæ venit, quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeſtè decumbant, faciamus nos.... ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia ſerviamus*. Nobiles erant *poſtulatitii*, *privati*, *&* *fiſcales*, primi à populo quandoque poſtulabantur, tanquam muneris ornamenta; *privati*, qui ab editoribus ludorum, fortaſſe, quia in arte excellebant, ſummo pretio redimebantur: *Fiſcales*, qui in Cæſaris bonis, veluti Fiſco addicti, exiſtebant, iiſdemque aurum, ſplendida, & veſtes, dabantur. Ignobiles, & infimi ſubſellii, erant *Catervarii*, *Meridiani*, *Suppoſititii*, *Pegmares*, *Beſtiarii*, *Buſtuarii*. *Catervarii* dicebantur, quia, & *equites*, & *eſſedarii*, *pedites* infimul, & promiſcue pugnabant. *Meridiani*, qui ſub meridie committebantur. *Suppoſititii*, qui vel victo, vel viribus deſtituto gladiatori ſupponebantur, & cum victore certabant. *Pegmares* quia in *Pegmate*, ſeù ſolutili tabulato, ſtabant, ejuſque ruina dè induſtria, vel igne ſuppoſito, vel emiſſione ferarum è cavea, in arenam cadebant. *Beſtiarii*, qui cum *Belluis* pugnabant. *Buſtuarii* demum dicebantur, qui ſanguine ſuo mortuis inferias facerent. Hiſce ignobilibus gladiatoribus modicus dabatur apparatus.

XLVIII. Quæ quidem gladiatorum varia, ac diverſa, genera, ita deſcribuntur à laudato Auctore *antiquitatum ſacrarum, & civilium, Romanorum*. At quia nullum apud eundem cujuslibet generis gladiatorum teſtimonium legitur, nobis idcircò fas erit, quæ præ oculis habuimus, teſtimonia huc tranſcribere. Quoad *poſtulatitios Seneca* ait, *epiſt.* 7. *Hæc plerique ordinarii paribus, & poſtulatitiis, præferunt*. De *Fiſcalibus*, ſive *Cæſareis*, gladiatoribus, mentio occurrit in lapide, qui legitur in *cap.* 35. *lib.* 3. *de officiis domus Auguſtæ Jacobi Gutherii*.

L. EC-

L. BOVIVS . L. F. CVR. PROCVR. LV
DI . FAMIL. GLAD. CAESARIS
ALEXANDREAE . AD . AEGYPTUM &c.

Meridiani, & *Beſtiarii* gladiatores recenſentur a *Svetonio* in *Claudio cap.* 34 hiſce verbis, *Meridianis*, *beſtiariiſque adeò delectabatur*. In *epiſtola* 25. *lib.* 5. *Martialis*, dum loquitur ille de *Hermete*, præſtantiſſimo gladiatore, habetur mentio *ſuppoſititiorum* : *Hermes nempe ſuppoſititius ſibi ipſi*. De *Pegmaribus*, ut ſuo loco dicturi ſumus, *Svetonius* in *Caligula cap.* 26. loquitur. *Buſtuarii*, qui ſcilicet ante *Buſta*, hoc eſt ſepulcra, dimicabant, memorantur a *Cicerone* in *Piſonem cap.* 9. *Buſtuarii* unius gladiatoris imago exſtat in quadam gemma præſtantiſſimi Muſei *Medicei*, quæ, poſtquam illuſtrata fuit ab *Auguſtinio*, & *Maffejo*, demum in lucem venit in opere, cui titulus *Muſeum Florentinum* cum *Obſervationibus Antonii Franciſci Gorii claſſ.* 3. *tab.* lxxiii. *num.* v. *tom.* 2. Dimicat gladiator ante ſepulcrum, in genu lapſus, & caput ſcuto defendit : ſepulcrum ibidem inſculptum ejuſdem formæ eſt, ac illud *Cai Ceſtii*, prope Portam Oſtienſem : indumentum illius eſt quoddam palliolum, collo alligatum, & in reliquo omnino nudus apparet.

XLIX. Præter recenſitas uſque adhuc gladiatorum ſpecies, & a laudato auctore *antiquitatum ſacrarum*, & *Civilium Romanorum* deſcriptas, *legitimi* gladiatores a *Petronio Arbitro pag.* 59. *n.* 25. appellantur, qui domino, hoc eſt eorum præſidi, corpora, animaſque, religioſè addicebant. In *Lampridio* leguntur quoque *Cubicularii* gladiatores, en ejus verba de *Commodo* : *in harena rudibus, inter cubicularios gladiatores pugnavit, lucentibus aliquando mucronibus*.

L. Patet igitur, gladiatores omnes, vel a locis, vel a tempore diſcriminatos ; patebit etiam inferius, aliis de cauſis diverſimodè denominatos fuiſſe, ut *Pinnirapi* dicti fuerunt, qui *Samnitium* pinnam, ſeù ſummitatem galeæ, raperent ; *Samnites* ab armatura Samnitum propria : *Rudiarii*, qui in gladiatoria arte emeriti, rudem acceperunt, impetrata miſſione, juxta *Facciolatum*. Non omnes quoque eodem armorum genere inſtructi, nec eodem modo, ac ratio-

ratione, ut *Lipſius* ait, pugnabant. Hinc videndum eſt, qui ſint gladiatores illi, noſtro in marmore deſcripti, & quare ita denominati, & diſcriminati inter ſe, videantur.

LI. Occurrit primò BORYS TENES THRAX VETERANVS. Nomen *Boryſtenes* novum haud eſt, de quodam Boryſtene, cui Hadrianus, quod plurimum eo inter venandum uſus fuerat, tumulum inaurata, columnæ ſepulcro aſfixæ, inſcriptione, conſtituit, mentio eſt apud *Xiphilinum* in *Hadriano*. Inter gladiatores *Thraces Boryſtenes* recenſetur, & quidem veteranos. Vox *veteranus* quid ſignificet ex ſeipſa patet; *Thrax* verò aliqua indiget animadverſione. Quamplurimi, immò fere omnes, rem antiquariam edocti, gladiatores *Thraces*, ſive *Treces*, ut alicubi etiam ſcriptum reperitur, dictos fuiſſe putant a *parma*, quæ breve ſcutum erat, Thracum populo familiare, appellatum idcircò, juxta *Manutium de quæſitis per Epiſtolam ep.6.*, θρακικὸν ὅπλον, quo gladiatores illi, armati cum brevi gladio, vel ſica, pugnabant. *Paulus* apud *Feſtum* ait, *Threces gladiatores à ſimilitudine parmularum Thraciarum*: & fortaſſe ex eo, omnes argumentum ſumunt, a *Svetonio in Domit. cap.* 10. parmularium appellatum fuiſſe eum, qui gladiatori *Thraci* fautor erat: *patrem familias, quod Threcem mirmilloni parem dixerat, canibus objicit cum hoc titulo, impie loquutus parmularius*: necnon *Martialem lib. 9. epiſt.* 70. ceciniſſe.

Mitior in magno clamor furit Amphiteatro;
Vincenti parmæ cum ſua turba favet.

Cenſet verò *Lipſius*, eos ita dictos, quia a *Thracia* gente originem traxerunt, cum *Thraces* ad pugnas, & ſanguinem effundendum, pronos fuiſſe, tradant hiſtorici. *Ammianus lib.27. cap.4.*, cum loquitur de *Odryſis*, *Thraciæ* populis circa *Hebrum* flumen, ait, è *Thracibus*, præter alios timebantur *Odryſæ*, ut immanitèr efferati. Humanum ſanguinem fundere tam erant aſſueti, ut cum hoſtium copia iiſdem deerat, inter epulas, poſt cibi, potuſque, ſaturitatem, ſibimet ipſis, tanquam alienis corporibus, ferrum dimicando imprimerent. Dicti fuerunt etiam *Threces*, quia *Thraciæ* Regio,

ex

ex qua vel parmam, vel originem habuerunt, etiam *Threce* appellata fuit, *Ovidius de art. aman. 2. verſ.588.*

Mars Threcen occupat, illa Paphon

Hujuſmodi gladiatores, *Thraces* dicti, aliquandò appellati reperiuntur *æquimani*, fortaſſe ex eo, quod manu una, cum ſcuto, ſeu parma, altera cum gladio nempe incurvo, ſive ſica, pugnabant; vel quia utraque manu æquè ad dimicandum utebantur; hinc ait *Auſonius* in *Monoſyll.*, vel in *Technopægnio*: *Quis Myrmilloni contenditur, æquimanus Thrax.*

LII. Sequitur in lapide CLONIVS HOPL., hoc eſt HOPLOMACHVS: licèt verbum hoc, quod Græcum profectò eſt ab ὅπλον *ſcutum, arma*, & μαχομαι *pugna*, repræſentet quemlibet armis pugnantem; attamen *Hoplomachum* fuiſſe aliquam gladiatoris ſpeciem, ex *Seneca patre lib. 3. contr.*, animadvertit *Octavius Ferrarius* in *Diſſertat. de gladiatoribus*, illius verba tranſcribens, *quidam cum Hoplomachis, quidam cum Thracibus optimè pugnant.* Dubitat *Lipſius*, an *Hoplomachos* cum *Myrmillonibus*, vel cum *Samnitibus* confundat, credit eoſdem fuiſſe, ac *Samnites*: quorum nomen, ante Ciceronem celebre, deſiiſſe ſub Imperatoribus, & abjiſſe in *Hoplomachos*, ait modò laudatus *Ferrarius*. *Cælius Aurelianus* in de *Diuturnis Morbis*, *ſive Chronion*, *lib.* v. *cap.* IX., ubi *de ſuperflua carne* agit, *quam Græci polyſarciam vocant*, cum ait, quod convenit corpus exercere geſtatione plurima, ac perſeveranti animalium jugo, vel curriculi motu, recenſet deinde alia corporis exercitia, & ab eodem præſertim proponitur *Hoplomachia*, hoc eſt armorum ficta confrixio, alibi legitur *ficta flictione*. Patet igitur è verbis laudati antiquiſſimi Medici, *Hoplomachiam* fuiſſe armorum fictum congreſſum, quò *Martialis*, malum medicum irridens, reſpexiſſe credendus eſt:

Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus ante:
Feciſti Medicus, quod facis Hoplomachus.

& revera *Galenus*, *lib.* II. *de tuenda valetudine*, hujuſmodi exercitationes, *hoplomachicas* appellat.

LIII. De Verbis ESS: hoc eſt ESSEDARIVS, nunc

opus

opus eſt, ut ſermonem inſtituamus. Sub nomine *Eſſedarii*, pro certo habetur, quod non modo qui *Eſſedum*, hoc eſt vehiculum regebat, verùm qui ex *Eſſedis* pugnabat, intelligatur. Ex *Scheffero de Re vehiculari* habetur, *Eſſedarios* gladiatores appellatos fuiſſe, ex eo, quod ex *Eſſeda* dimicabant. Erat quippe illorum proprium, animadvertit ille, non tam virtute contendere, quam arte, & conſilio ſimulare impetum in hoc loco, aggredi in alio, eſſedam convertere, fugam præſeferre, ac nec opinantes adoriri. Qua de re, ad hujuſmodi *Eſſedariorum* artificium reſpexiſſe, nonnulli crediderunt, *Ciceronem* ad *Trebatium*, cum inquit, *caveto ne ab Eſſedariis decipiaris*. Eidem vocabulo *Eſſedarius*, poſtquam *ſynonymum* fuiſſe, oſtendit Clariſſimus & eruditiſſimus *Mazochius*, in de *Dedicatione ſub Aſcia num.* 83., alterum, nempe *Dymacherus*; necnon *Aſſidarium*, & *Eſſedarium* rectè ſcribi poſſe; adverſus *Schefferum*, aſſerentem, *Eſſedarios* gladiatores nunquam de curru deſiliiſſe, ratiocinatur: veramque comprobat *Lipſii* ſententiam, eos, nempe, nonnunquam de eſſedo deſiliiſſe, ac pedites decertaſſe, ea potiſſimum ratione, quod *Cæſar in* 4. *Belli Gallici* 33. *Brittannorum Eſſedariorum* munus deſcribat, *hiſce ſequentibus verbis: genus hoc eſt ex eſſedis pugnæ; primò per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipſo terrore equorum, ac ſtrepitu rotarum, ordines plerumque perturbant; & quum ſe inter equitum turmas inſinuavere, ex eſſedis deſiliunt, & pedibus præliantur, aurigæ interim paullum è prælio excedunt*. Et quemadmodum gladiatores illi, qui nationis alicujus nomen geſſerunt, prout fuere *Samnites*, & *Thraces*, non modo arma, & pugnandi genus ſuæ cujuslibet Nationis, quoad fieri potuit, retinuerunt: ita credendum eſſe, ait, gladiatores *Eſſedarios* (*imaginarios* ab eodem *Mazochio* dictos, reſpectu *Eſſedariorum*, juſto in bello pugnantium) non aliàs in munere gladiatorio depugnatos fuiſſe, quam dicti juſti *Eſſedarii* dimicabant.

LIV. Et quamvis *Valbonenſius* in *epiſt.* 3. quæ legitur inter *Memorias Trevoltinas* anni 1715., *art.* 89., contra *Lipſium* ſentiat, laudatos *Eſſedarios* de eſſeda omninò non pugnaſſe, cum auctoritates, quæ allegantur, *Svetonii*, & *Senecæ*, nullam reddant explicationem pugnæ *Eſſedariorum*; itaut (ille ait), quæ datur interpretatio, pendet tantummodò ab

ety-

etymologia nominis, & ab ea ſumitur adverſæ opinionis argumentum. Suam tamen nititur comprobare ſententiam ex ſilentio omnium auctorum, quod hac in re magni momenti eſſe cenſet; quia pugnæ ex *Eſſedis*, juxta id quod *Cæſar* deſcribit, magnificum arenæ ſpectaculum reddidiſſent, occaſionemque utique præſtitiſſent illius ævi ſcriptoribus, ad illas quandoque alludendi: necnon *Caligula*, *Nero*, *Commodus*, ingenti inflammati cupidine, ſe in gladiatorio, & aurigatorio, exercitio, præſtantiores exhibendi, cogitaſſent profectò, ſe quoque idoneos evadere *Eſſedarios*, ut exercitationis, nempè, cæteris aliis difficilioris, præmium reciperent: majorem, hoc eſt, gloriam, inanemque, quem aucupari ſolebant, rumorem captarent. Quod omne à nemine memoriæ traditum fuiſſe, legitur. Ideoque, ut ſuam componat ſententiam, & *Senecæ* auctoritate uti poſſit, ait, quod hujuſmodi gladiatores fortaſſe producebantur populo in Eſſedis, deindeque in arenam deſcenderent, ut pedites cum cæteris dimicarent.

LV. Ex hoc verò noſtro lapide inanis profectò redditur altera, ſuperiùs laudati, *Valboneſii* ratiocinatio, quod *Eſſedariorum* nomen omninò in uſu eſſe deſierit, & nunquam idcircò apud auctores, poſt *Svetonium*, inveniatur: necnon quod *Artemidorus*, qui utitur gladiatorum nominibus juxta ſui temporis conſuetudinem, eam ob cauſam de *Eſſedario* non loquatur, illiuſque loco vocem *Dymachærus* adhibeat. Qua de re, ſe conjecturæ illius auctorem reddit, quod Romæ vox *Dymachærus* prævaluerit illi *Eſſedarius*, adverſante tamen conſuetudine Provinciarum, præſertim Gallorum, in quibus verbum *Eſſedarius* magis cognitum erat, utpote originarium illius nationis. Et magis magiſque in ſua opinione ſe permanere oſtendit, ubi aſſerere proſequitur, quod Romani, cum non aſpicerent gladiatores, *Eſſeda* habentes, ſed pedites pugnantes, duabus *Machæris*, ſive gladiis armatos, nominis *Eſſedarii* uſum ſtatim amiſerint, eidemque illud *Dymachæri* ſubſtituerint; & quod idcircò *Lugdunenſis* inſcriptio habeat verba illa *Dymachærus*, ſive *Aſſidarius*, ut vox *Dymachærus* communis, & Romæ cognita, explicaretur ab altera *Aſſidarius*, vel *Eſſedarius*, magis cognita, & communi apud Gallos.

LVI. Hic modò ea tenenda eſt regula, de qua *Horatius* in *Arte poetica*, primum ne medio, medio ne diſcrepet imum. Et animadvertimus idcircò, ex hoc eodem noſtro lapide probari, *Eſſedarios*, non verò *Aſſidarios*, gladiatores, vel de Eſſeda pugnantes, vel in ea populo productos, appellatos fuiſſe. Et eò magis id animadvertendum erat, quia Cl. *Mazochius* in elaboratiſſima Epiſtola illa, de *Dedicatione ſub Aſcia num.*83., pro *Aſſidario* lapidem illum *Monfauconii*, *Diſ. Manibus & memoriæ æternæ*: *Hylari ſuo Dymachæro ſive Aſſidario*: *Pugnavit ſepties rude donatus ſemel. Ermais conjux Kariſſimo poni curavit*, *& ſub Aſcia dedicavit*, ſtare aſſerit, & libros; pro *Eſſedarios* verò libros editos, quorum incerta eſt ſcriptura. E' contrario, prout noſter hic lapis ſtat pro *Eſsedario* non ſemel, ita nec opus eſt aſſerta illa, incerta ſcriptura librorum editorum, ut errorem, a lapicida profectum, in ſuperiùs recitata inſcriptione, juxta ſententiam *Montfauconii in vol.* 1. *Antiquit. illuſtr.*, in *Aſſidario* pro *Eſſedario* animadvertamus.

LVII. Ad verbum RET, ut gradum faciamus, jam tempus inſtat, *Retiarius* rectiſſimè in recenſito Commentario explanatur: at quis ſub *Retiarii* nomine appellabatur, cum ex eodem Commentario non liquet, paucis exponemus. *Retiarius* dicebatur alter ex gladiatoribus, in arena depugnantibus, qui tunicatus dextera, arte quadam, ſuſpenſum tenebat rete, quod in adverſarii caput injiceret: & poſtquam eundem adverſarium jactu retis implicaſſet, tridente, ſeu fuſcina, quam ſiniſtra tenebat, illum conficiebat. Cum altero pugnabat gladiatore, *Gallo* dicto, a gallicæ armaturæ ſpecie, vel *Myrmillone*, de quo inferius agendum erit. Idem gladiator, ſive *Gallus*, ſive *Myrmillo*, dictus, qui cum *Retiario* committebatur, *Secutor* etiam appellatus fuit, fortaſſe ex eo, quod primo in congreſſu, quodam artificio, tanquam ſi *Retiarium* effugere vellet, illius ictum evitabat: itaut, ſi fruſtrá rete jeciſſet, eundem fugientem, ſuiſque manibus ſubripientem, falce infeſta ſequeretur. Qui quidem gladiator *Retiarius* optimè à *Juvenali* deſcribitur in citata *Satyr.* 8., cujus verſus ſupra tranſcripſimus; illiuſque fugam in eodem *Juvenali*, *Sat.*8. *v.* 203., ſatis aptè expreſſam quiſque reperiet, cum ait de *Gracchо*. *Poſt-*

Poſtquam vibrata pendentia retia dextra,
Nequicquam effudit, nudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoſcendus arena.

LVIII. De *Retiario* gladiatore lapidem penè ſingularem invenire licuit in *Muſeo Veronenſi Maffei*, pag. 125. num. 4., & eſt:

D. M.
GENER.•
SO . RETIAR
O . INVICTO
PVGNARVM
XXVII . N̄ AIE
XANDRN. QVI
PVGNAVIT . VIR

lapidem hunc, prout jacet, deſcribit Cl. *Maffejus*; deindeque adnotat, ut revera eſt, quod marmor etiam arma oculis ſubjicit, quibus *Retiarii* poſt rete jactum pugnam inibant, *cultrum*, nempe, & *fuſcinam*. Itaut ex hac inſcriptione, ſive lapide, pro certo habetur, non rete tantum, & fuſcina, *Retiarios* uſos fuiſſe, prout apud omnes fere, qui ea de re ſcripſerunt, nobis legendum occurrit, ſed etiam cultro.

LIX. *In Muſeo Etruſco Clariſſimi Viri Antonii Franciſci Gorii tab. clxxxviii. Claſſ. iii. vol. 2.* nobis exhibetur pictum vaſculum, effoſum anno cIↄIↄcccxxxvi. apud *Adriam*: in eo picti intuentur ſex ludiones planipedes, tres in antica, tres in poſtica parte, varioque motu corporis, ait laudatus *Gorius*, inter ſe ludentes, ſeu potius pugnantes. Ex iis quinque nudi apparent ex colore picto, carnem imitante, altero excepto palliato, qui fuſcinam vibrat, hunc *Retiarium* eſſe arbitratur, cæteros *ſequutores*, & cum his etiam pugnantes *Myrmillones*: ex eo quia non modo fuſcina ibidem picta videtur, quæ *Retiarii* propria armatura fuit, & multo antiquior rete ex primævo inſtituto, verum & plumbea maſſa, vel malleus, *Vulcani* proprius, in ſumma latus, & in imo in cuſpidem deſinens. Quæ arma,

Secutorum propria, deſcribuntur ab *Iſidoro,Etymolog.lib.*xviii. *cap.* lv. , rationem exponente , quia *Retiarius* Neptunum aquis præſidem , *Secutor Vulcanum* ignis dominum , & ſic pugnam ignis cum aqua referebant . Hinc intelligitur , *Retiarii* primævam armaturam fuiſſe tridentem , ſeu fuſcinam, quia *Neptuni* armis certabat .

LX. Ex hoc eodem Vaſculo doctiſſimus *Gorius* infert, antiquam fuiſſe *Retiariorum* , & *Sequutorum*, pugnam , ex eo quod in uſu fuerit apud *Etruſcos* , & in ea exhibenda excelluiſſe *Adrienſes, Etruſcorum* colonos , forſitan ejus inventores, a quibus poſtea ad Romanos deveniſſe : licèt *Lipſius* doceat , pugnam hanc manaſſe a *Pittaco*, qui, cum eſſet *Mitylenæorum* Dux , piſcatoriâ ſchemâ cum *Athenienſium* Duce certamen iniit , & rete , quod ſecum obtectum geſtaverat , hoſtem involvit , tridente , & gladio, involutumque percuſſit .

LXI. Exſtat etiam de *Retiariis* gladiatoribus , & de *Secutoribus* , mentio in *Tergeſtina* inſcriptione apud *Gruterum pag.* cccxxxiii.

COSTANTIVS . MVNERARIVS . GLADIATO
RIBVS . SVIS . PROPTER . FAVOREM . MV
NERIS . MVNVS . SEPVLCHRVM . DEDIT
DECORATO . RETIARIO . QVI . PEREMIT
CERVLEVM . ET . PEREMPTVS . DECI
DIT . AMBOS . EXTINCXIT . RVDIS . VTRO-
SQVE . PROTEGIT . ROGVS
DECORATVS . SECVTOR . PVGNAR VIIII
. . *ſic* . *ſic* . .
VALERAE . VXORI . DOLORE . PRIVVM . RELIQVIT

LXII. MVR legitur deinde in lapide , ideſt MVRMILLO , ſive *Myrmillo* , ob vocalis *u* , & *i* , vel potius *y*, alternationem , apud veteres uſitatam . De gladiatoribus *Mirmillonibus* nonnulla ſuperiùs dicta ſunt . *Nicolaus Galliachus* in *Diſſertat. de gladiatoribus* contendit , *Myrmillones* ex genere quodam *Armaturæ gallicæ* , qua utebantur in Amphitheatris , ex *Feſto Gallos* primùm dictos fuiſſe : *Myrmillones* deinde vocem eſſe græcam , & *Turnebium* in *adverſ. lib.* 5. *cap.*4. hariolari , ait ; nam credidit , quod , cum gladia-

diatores uterentur armatura propria fortiſſimorum hominum, quales fuerunt *Myrmidones*, *Achillis* Milites, qui Romanorum ſententia *Galli* habebantur, *Myrmillones* de Græca illa natione appellabantur, mutata littera D in L. Hujuſmodi denominationem *Lipſius* ridet, non meliorem, ut advertit idem *Galliachus*, ipſe exhibet.

LXIII. At referamus illam ſuperiùs laudati *Galliachi* Is enim, noſse omnes, inquit, quod *Myrmillones* ἀπὸ τῶ μυρμήκων, a formicis, nempe, dicti fuerint, ſive quia, ut eſt in fabulis, populo, peſte *abſumpto*, *ex voto Æaci Jupiter formicas in homines commutarit*, *ſive quia formicarum inſtar terram foderent*, *atque agriculturæ operam darent*, *ſive quia primis temporibus*, *Æginæ ſcilicet*, *in ſubterraneis cavernis more formicarum habitarent*. *Eccur igitur*, proſequitur ille, *a* μύρμος, *quod eſt formica*, *aut Myrmidones*, *aut Myrmillones*, *appellari nequiverunt gladiatores illi*, *cum propter gravem armaturam non incedere*, *ſed formicarum more repere potiùs viderentur*?

LXIV. Vocabuli *Myrmillonis* notionem rectius expoſitam, quiſque dijudicabit, a voce μορμύρος, *Oppiano* μορμυλος, piſcis genus, ita dictum, juxta *Euſtathium* ἀπὸ τῦ μορμύρειν, a murmurare nempe; nam ille, aqua æſtuans, ſtrepitum facere videtur, ac fragorem excitare, cum rapidè fertur, ut legitur apud *Aldovrandum*, *de Piſcibus lib.* 2., *cap.* XIX.: qui nos quoque admonet, hujuſmodi genus piſcis habere branchias quaternas, ad quas binæ etiam ſunt pinnæ, caudamque in lunatam pinnam degenerare. *Facciolatus* in *lexico* ait *Mirmillones ante galli appellabantur*, & *genus Mirmillonicum armaturæ gallicum eſt*; *dicti ſunt a* μόρμυρος, *mormyris*, *piſcis genus in Ponto*, *de quo apud Ovidium in Halieuticis*, & *Plin. lib.* 32. *cap.* 11., *quia in eorum galeis hujuſce piſcis effigies inerat*. Hinc *Retiario*, pugnanti adverſus *Myrmillonem*, cantabatur, ut apud omnes legitur, *non te peto*, *piſcem peto*, *quid me fugis Galle*? Inſcriptio, quæ *Doctorem Myrmillonum* exhibet, exſtat in appendice *Clar. Muratorii pag.* *MMXIX. num.* 6., & rara ab eodem judicatur.

Placentiæ in Muſeo S. Auguſtini.

A . POSTVMVS
ACOEMITVS
DOCTOR
MYRMILLON

LXV. Abſolutis gladiatorum ſpeciebus, quæ noſtro hoc in marmore primo loco occurrunt, tranſeamus modò ad cæteras; quas in exponendas non mediocrem, & ſanè laudabilem, induſtriam contulit laudatiſſimus *Commentarii* Auctor. Harum prima eſt ex verbis illis PARDVS PROV. VET; & eruditiſſimus *Facciolati* interpretationem vocis *Prov. Provocator* prima fronte nobis exhibet, cum ait, *Provocatores* dicebantur quoddam gladiatorum genus, qui adverſarium primi laceſſendo provocabant: & refert idcircò eandem *Ciceronis* auctoritatem pro *Sex. cap.* 64. At in *Commentario* ſatis aptè hujuſmodi interpretatio firmatur duabus inſcriptionibus, quæ ex *Fabretto*, *pag.* 233., ibidem tranſcriptæ leguntur. Et eapropter edocemur, non gladiatorem *Provincialem*, ſed *Provocatorem* gladiatorem, fuiſſe *Pardum*.

LXVI. Sequitur in altera Decuria DEMOSTHENES MANICAR, ideſt MANICARIVS. Vocis derivationem forte a *Manicis* fuiſſe, legimus in *Commentario*: ex eo quia *Manicæ* ſint *Chirothecæ* ex ferro, quibus brachia contra hoſtium injurias muniuntur; quod & animadvertit laudatus *Facciolati* in verbo *Manica*, eoſdem *Juvenalis* verſus *Satyr.* 6. *verſ.* 255. tranſcribens, *Thecas* tamen illas appellat, non *Chirothecas*, quæ ab eodem vaginæ manuum, vim frigoris arcentes, dicuntur. *Manicarium*, exponit quippe Commentarii Auctor, idem fuiſſe ac *Laquearium*, quia manicæ ſunt laquei, ſeu catenæ, quibus manus devinciuntur, vulgò *Manette*; & præter *Plauti*, ac *leg.* 1. §. 1. *de Cuſtodia reorum*, teſtimonium, extat & illud *Prudentii* in *Pſychomachia n.*567.

. . . . . . capit impia Erinnys
Conſenſu faciles, manicisque tenacibus, arctat.

necnon

necnon *Horatii lib.*1. *Epiſt.*16.

Lectos, argentum tollas licet; in manicis, &
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo.

Adnotat deinde, *Mannum Equum* ab *Horatio*, aliiſque, appellari, & a *Manno* quoſdam deducere *Manicare*, hoc eſt equitare, juxta *Cangium* in *Gloſſario*; itaut *Manicarius* idem ſit, ac gladiator equeſtris. Hac in re, ſi id inſpiciendum eſt, quod magis vocis interpretationi conveniat, addere non piget, quod *Nicolaus Mortier*, in *Etymolog.* verbo *Manin*, ait, a *Mania* fit μανικός, manicus, inſanus, furioſus. Ex *Theſauro Baſilii Fabri Sorani* (*quo uno nihil eſt in hac ſtudiorum arte perfectiùs*, ait *Facciolatus*) habetur, *ſed & manicus idem eſt, ac inſignis, & excellens, nam Phryges illuſtria, admirandaque, manica nuncupant ob Manin Regem, bonitate, & potentia perinſignem*. Indubium etiam eſt, quod apud *Gangium manicare* ſumitur pro equitare a *Manno*, qui, teſte *Iſidoro*, & *Horatio*, eſt equus brevior; qua de re *Juvenalis Satyr.*5. allegatur, *propterea ſemper manicaſti per pluviam*. Attamen manicare ſumitur ab aliis pro mane ſurgere, properare, quod & *Scholiaſtes* antiquus *Juvenalis* verbis illis dicere voluit in *pag.*51. *num.*79. *edit. Lutetiæ* 1585. *ex Bibliotheca P. Pithœi* ad interpretationem verſus ejuſdem *Juvenalis*: *& multo ſtillaret penula nimbo.* Rectiùs igitur dici poſſet, *Manicarium* hunc gladiatorem, matutinum fuiſſe; & de *Matutino* ludo etiam Cl.*Commentarii* Auctor verba fecit. Reliquum eſt, ut animadvertamus, aliquando gladiatorum multitudinem appellatam fuiſſe manum: *Svetonius* in *Oct. Aug. n.* 14. ait, *Peruſinum murum ſacrificans, pene interceptus eſt a manu gladiatorum, quæ opponendo eruperat*; prout etiam apud *Valerium Maximum de Judiciis publicis, cap.*1. *num.*2. de *Militibus* legitur, *Cum a Libone, Tribuno Plebis, Sergius Galba pro roſtris vehementer increparetur, quod Luſitanorum magnam manum interpoſita fide Prætor in Hiſpaniam interemiſſet*. Et quemadmodum caterva, ut apud Scriptores videre eſt, in re Militari plerumque, immò ſæpius, uſurpatur pro quacumque Militum manu, necnon gladiatores *Catervarii*, juxta *Svetonium* in *Auguſto*, qui non *legitimi*, & *ordinarii*, ſed temerè pugnantes, extiterunt; ita, ſi conjecturis locus

erit,

erit, *Manicarium* hunc noſtrum gladiatorem fuiſſe *Catervatium*, divinari libenter poſſumus: & revera hiſce noſtris temporibus, tam verbo illo *mano*, quam altero *manica*, utuntur ii, qui multitudinem vulgari ſermone deſignare volunt. Hiſce omnibus ad ornatum potius prænotatis, non diſcedimus tamen ab ea ſententia, quam ex *Fabri* auctoritate firmavimus, *Manicarium* appellatum fuiſſe *Demoſthenem* gladiatorem, ut ille inſignis, & excellens, deſignaretur: nam bonis gladiatoribus peculiare cognomen, virtutis ergo, datum aliquando fuiſſe, accepimus a *Trebell. Pollion.* in *Claudio*, qui de cognomine *Aureolo*, hoc eſt *eximio*, ait, *ſæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus hoc nomen appoſitum*; & *Claudius Salmaſius* in notis ideò animadvertit, quod hujuſmodi boni pugnatores in gladiatorio ludo, *virtutis cauſa*, *Aureoli dicerentur*, *ut Cecrops Aureolus*, *Aſtur Aureolus*, *Vejent Aureolus*. Ne intermiſſa videretur, quam ab initio ſuſcepit *Commentarii Auctor*, interpretandi ratio, erat & hic locus animadvertendi, hac eadem inſcriptione luculentiſſimè probari, in voce *Tiro*, iteratò in marmore ſcalpta, adhibendam eſſe litteram *i*, ut quoque legitur in *Pandectarum Codice Florentino*, & in quadam antiqua inſcriptione: & jure *Facciolatus* idcircò aſſerit, perperam ſententiam mutaſſe *Manutium*, falſa deceptum inſcriptione, eamque nec veram eſſe, plenius demonſtraſſe *Antonium Auguſtinum Dialog.* 11., teſte *Voſſio* in *Etymolog.*

LXVII. In voce UNCT. exponenda animadvertit Commentarii Auctor, eam explanari poſſe *Unctus*, vel *Unctor*. At rectè ab eodem nec una, nec altera, interpretatio integrè probatur, cum ſatis perſpectum haberet, *Unctores*, & *Unctos*, vel inter *Athletas*, vel inter *Balneatores*, numerari, ſecus verò inter gladiatores. Legendum deinde putat, *Victor*, tum ex *Plinii* teſtimonio, XXVI. 15., tum è lapide illo:

HIC . PRIMVS . ET . SOLVS . VI
CTORES . CAMPANIAE . PRAE
TIIS . ET . AESTIM . PARIA
GLAD . EDIDIT.

Lipſius

Lipſius verò, qui neſcire ſe ait, num ita γενικῶς & ab effectu, an cognomine certo, & diſcernendi cauſa, dicantur, ſcrupulum eidem injecit: quamvis eruditiſſimus *Mazochius*, in aureo illo de *Amphitheatro Campano Commentario*, utrumque verum eſſe, definiverit, *& ab effectu ſic appellatos, quod plures jam palmas numerarent, & inſuper certo cognomine, & diſcernendi cauſa, poſtquam inſtitutum, ut victores iſti inſigni munificentia invicem committerentur*. Qua de re inter gladiatores *Victores* accenſendus eſt gladiator ille, cujus imago in *Muſeo Odeſcalcho* conſpicitur, in *Tabul.* XXIV., poſt *pag.* 54. *tom.* 2. Is enim, gladiatorem, qui ſibi in certamine ſuccubuit, ſuis humeris imponit, ut ſpectanti populo præferat Victoriæ ſignum. Nec ſane credendum eſt, id ab hujuſmodi gladiatore factum fuiſſe, ne cadaver illud cæteris in ludo pugnantibus impedimento eſſet: nam pro certo habetur, hujuſmodi curam demandatam fuiſſe iis, qui *unco-trahones* appellantur a *Franciſco Ptolemæo*, in *Vetuſtal. verb.* XII. *pag.*144. Et reverà inter acclamationes Senatus poſt mortem *Commodi* apud *Lampridium* legitur, *gladiatoris Cadaver unco trahatur, gladiatoris Cadaver in Spoliario ponatur*. Præterea, cum locum quemdam arenæ proximum, *Spoliarium* appellatum, recipiendis, exuendiſque, gladiatoribus in arena mortuis, deſignatum fuiſse, indubium ſit, nil mirum profectò erit, aſſerere, iis, qui *Spoliario* præficiebantur, id negotii datum fuiſſe, ut Amphitheatralem arenam, unco tractis ſuccumbentium gladiatorum corporibus, ad reliquam pugnam, expeditam redderent. Noſtram hic tamen attexere conjecturam, non prætermittimus: vox *Auctoratus* loco *Unct.* reſtituenda fortaſſe venit; & idem ſcalptori noſtri hujuſce lapidis eveniſſe ſuſpicamur, quod *Typothetæ* in editione *lexici Cl. Facciolati* an. 1741. accidiſſe legimus: ille enim poſtquam in voce *Unctor* poſuit *Plauti* auctoritatem, *Trinum:* 2.1.32. hiſce verbis, *unctorem enumerat inter ſervitia domus*, in altera vero voce *Veſtiſpicus*, eadem *Plauti* verba referens, loco verbi *Unctor* ſubſtituit *Auctor*. Gladiatores *Auctorati* dicebantur ii, qui *liberi* erant, & ſe ludo ad gladium venundabant, ait *Pitiſcus*: hinc a *Seneca*, de morte *Claudii*, *novi auctorati* memorantur, & apud veterem interpretem *Horatii* 2. *Satyr.* 7. *verſ.* 59. legitur: *Qui ſe vendunt ludo, auctorati vocantur*.

LXVIII.

LXVIII. En proxima nunc eſt vox illa PAEGNIAR, PEGNIARIS interpretata. *Facciolatus* in *lexico* adnotat, *Pegmaris*, a *Pegmare*, ut *Pegmaris gladiator apud Sveton. in Caligul. cap. 26.*, *alii legunt Pægniares a παίγνιον ludicrum.* Qui verò, *Svetonii* locum mirè a Criticis vexatum fuiſſe, ajunt, ignorare quoque haud poſſunt, quod, *temerè* illum vexatum fuiſſe, doceat *Caſaubonus*, dum fatetur, ſe omninò adquieſcere non poſſe aliorum ſententiis, neque laudandos eos, qui quicquam cenſent in *Svetonii* loco mutandum. Interpretatur idcircò *Pegmares*, (vocem, quam teſtimonio quamplurium Codicum exiſtimat veriorem) gladiatores, nempe, illos fuiſſe, qui in *Pegmate* populo exhibiti, felici quodam ſidere ſuperſtites eidem ſpectaculo fuerint. *Pegmata*, in re ludorum dicta, exponit idem *Caſaubonus*, fuiſse ligneas quaſdam moles, quæ machinamentis occultis attollebantur, deprimebantur, *ſuper iis producti facinoroſi homines, quales gladiatores ferè erant, vel inibi pugnam inter ſe committerent, vel ſpectati a populo, mox ſolutis compagibus pegmatis, caſu ſuo in foveam, ubi, vel ignis, vel feræ erant, populum oblectarent*. Hujuſmodi gladiatorum ſpeciem apprimè deſcribit *Joſeph Scaliger* in *lib.*v. *Manilii v.*10.*pag.*127. Denique, nihil facilius fuit, quàm ſcalptores, loco litteræ M, in lapide ſuppoſuerint litteras N. I., ut aliquando III pro M, prout in PRIIIIILLA pro *Primilla* apud *Gruterum pag. MXIII. num.*7., & ita loco *Pegmaris* legatur *Pægniaris*, ſeu *Pecniaris*, ex facili commutatione litteræ *g* in *c*, & non rara diphthongi omiſſione. Hinc *Joannes Tortelius Aretinus* in ſua *Orthographia*, edita a *Philippo de Pinciis*, *Venet*. 1480. in verbo *Pægma* animadvertit, quod a *Pægma deducitur Pægnia per diviſionem, olim de M. factam in NI*; *quæ ludibria dicuntur*. Quod quidem eo magis evenire potuit, quia ductus literarum M abſque capitulis, vulgò *capitelli*, antiquitus fiebant, ut legitur in Epiſtola quadam, edita inter *Opuſcula varia Philologica*, *ſcientifica &c.*, a præſtantiſſimo antiquarum rerum inveſtigatore *Gorio* collecta, *pag.*60. *vol.*1. in qua notitia præſtatur nonnullarum antiquitatum *Herculanenſium*, quarum majeſtatem, munificentiâ invictiſſimi Regis CAROLI BORBONII, ab Auguſtiſſimo FERDINANDO IV. Rege noſtro, tanti Patris Succeſſore digniſſimo, non intermiſſa,

miſſa, redivivam intuemur. Ita enim *Epiſtolæ* auctor animadvertit, eſſe æneas illas, quas *Herculanenſi* in Theatro invenire licuit, eaſque optimè efformatas eſſe; ac proindè litterarum latii originalia elementa, tanta etiam inſtructa antiquitate, Neapoli aſservari, teſtatur.

LXIX. Sequuntur ſigla illa SP, quæ exſtant in II. & III. *Decuria*: in *Commentario* explanantur *ſpectatus*, ex eo quod ad hujuſmodi gladiatorem videtur alludere *Horatius* in *lib.* I. *Epiſt.* I.

Spectatum ſatis, & donatum jam rude, quæris
Mecænas iterum antiquo me includere ludo.

vel *ſpectavit*, ideſt ſpectaculum de ſe præbuit. Quam noviſſimam interpretationem, alienam quippe a Decuriali hoc noſtro lapide, & propriam *Teſſeræ gladiatoriæ*, fruſtraneum eſt, confirmare binis illis teſſeris gladiatoriis, quæ apud *Fabrettum* leguntur, *pag.* 38. *num.* 188., *& ſeq.* Vidimus quoque *Pignorium de Servis*, ibidem eſt & alia gladiatoria Teſſera.

MANLIVS . MARTIALIS
SP. K. IAN.

Et ex eodem *Pignorio* edocemur, notas illas SP., vel SPECT., quæ doctiſſimorum virorum huc uſque ingenia vexarunt, nihil aliud ſignificare, quam, ut intelligeretur, conductos fuiſſe aliquos, veluti ab editore gladiatores inſignes, rude olim donatos, ſpectandi gratia, non pugnandi. Ex his igitur rectè quiſque dijudicabit, ſigla illa SP. potius *Spectator* eſſe exponenda, quam *ſpectatus*, vel *ſpectavit*, cum nec prima, nec altera vox peculiarem gladiatoris ſpeciem conſtituat, & ſaltem Veteranis omnibus applicari poſſint, ex eo quia in ludo ſpectaculum eos de ſe præbuiſſe, pro certo haberi debet; ſecus vero id ſequeretur, duobus exceptis gladiatoribus, deſcriptis cum dictis ſiglis in lapide, cæteros nequaquam in ludo pugnaſſe.

LXX. Properandum nunc eſt ad notam alteram N̄. Erit fortaſſe *Novitius*, qui eſt veluti *Tiro*, in *Commentario*

legitur : at quæ neceſſitas urgebat lapidis auctorem, eam, qua in cæteris Decuriis uſus fuerat, immutare vocem, pluriès repetitam, nempe *Tiro*? Ex *Athletis*, qui nudi in Arenam deſcendebant, fortaſſe gladiatores quoſdam nudos dimicaſſe, præſertim *Meridianos*, ex *Seneca* probari, exiſtimat præſtantiſſimus *Commentarii* Auctor: & proinde *Nudus* notam illam interpretari poſſe. Addit quoque ad hujuſmodi conjecturam veriſimilem oſtendendam, *Commodum* quandoque nudum in Arenam deſcendiſſe, immo & quamplurima gladiatorum nudorum ſimulacra adhuc ſupereſſe, & præ cæteris egregium illud *Capitolinum*. Hac in re doctiſſimum *Muſei Odeſchalchi* Auctorem audire oportet. Is enim in *obſerv. ad Tab.* XXIV. *vol.2. pag.55.* animadvertit, quod, quamvis *Scaliger* aſserat, & ex eo *Joan. Roſin. Antiquitat. Rom. lib. 5. cap.24.*, *certaminis initio, poſtquam inter ſe rudibus batuiſſent, ferro nudos ſe transfixiſſe*; vellet nihilominus, ut idoneo teſtimonio aliquo nuditas hæc confirmaretur. Non apparere, demum inquit, in imaginibus *Lipſianis*, ſed in gladiatoribus in *Corniola* ſui *Muſei* inciſis, in illis exiſtentibus in porticu *Farneſiana*, & tandem in illo, ſupra omnem artem elaborato, *Capitolino* nempe. At id tam validum argumentum haud eſse oſtendit, ut dici queat, gladiatores omninò nudos depugnaſse, cum paſſim nudos intuemur in nummis, & ſtatuis, *Cæſares*, *Antinoos*, alioſque, & tamen veriſimile haud eſt, illos, vel tam inverecundos, vel tam patientes frigoris fuiſſe, ut detractis planè veſtibus in publico eſse vellent. Hinc rectè infert, nuditatem illam, quæ nobis in ſtatuis, ac nummis exhibetur, ad arbitrium, voluntatemque artificum eſse redigendam: ii enim ſimulacrum ideo eâ formâ ſcalpſerunt, ut artis peritiam demonſtrarent; vel, quæ ſentimus, hic addere liceat, ut ita magis exponerent animi ſenſus, corporiſque motus, & hominem idcircò exhiberent, non tantum è ſaxo ſcalptum, ſed tanquam ſi corpus, animumque haberet, moveretur mente.

LXXI. Non ignoramus profectò, quod præſtantiſſimus, ac doctiſſimus Auctor *Obſervat.* ad *Muſeum Capitolinum*, cum de nudo *Capitolino* gladiatore ſermonem inſtituat, *pag.136. vol.3.* demonſtrare conetur, gladiatores aliquandò detractis omninò veſtibus pugnare conſueviſse, præſertim ex *Epiſt.* *Sene-*

Senecæ 7., in qua legitur, *nihil habent quo tegantur*, *ad ictum totis corporibus expoſiti*, *nunquam fruſtra manum mittunt*; & deinde, *plagis aguntur in vulnera*, *& mutuos ictus nudis*, *& obviis pectoribus excipiunt*. Utcumque res ſit, ex auctoritate *Senecæ* non ita liquet, ut planè, & abſque ulla hæſitatione, dicere quis poſſit, nudos gladiatores dimicaſse: nam vox *nudus* accipitur aliquando pro eo, qui tantum indutus eſt, &, ut loquamur cum *Pitiſci* verbis, *cui ornando deſunt veſtes exteriores*: ita *nudus Eſaias cap.* 20. *num.* 2., *qui ſaccum depoſuerat*, *veſtem extimam in luctu uſurpari ſolitam*, *David* 2. *Pſalm. cap.*6. *num.*20., *quia, regali veſte depoſita*, *ſaltaverat*. *L. Quintius Cincinnatus*, *quem nudum arantem trans Tyberim oſtenderant ad eum miſſi Legati*, *apud Aur. Victor. de Viris Illuſtribus cap.*17. *Is enim togam*, *quam propriè è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet* (*apud Livium* III. 26.) *depoſuerat*. Et præterea ipſemet *Seneca lib.* V. *cap.* XIII. *de Beneficiis* ait, *ſic qui malè veſtitum*, *& pannoſum vidit*, *nudum ſe vidiſſe*, *dicit*; de iiſdem gladiatoribus in *lib.* 1. *cap.* XI. *de ira*, inquit, *gladiatores quoque ars tuetur*, *ira denudat*: Itaut, cum *nudus* accipiatur quoque pro ſolo, *Martial. lib.*1. *cap.*44. *nudus aper*, hoc eſt, *ſolus aper*, *Senecæ* auctoritas explicari poſſit *pro ſolis*, *& obviis pectoribus*. Illa verò verba, *nihil habent*, *quo tegantur*, non de veſtibus intelligenda ſunt, ſed potius de laminis ferreis, quibus humeri pugnantium in bello operiebantur, *ſegmen* appellatis a *Ferrario* de *Re veſtiaria lib.*1.*cap.*X.: & revera apud *Vegetium lib.*1. *cap.*XX. *de Re Militari* legitur, milites, detectis pectoribus, dimicaſſe, quia *cataphractas*, a *Godeſchal. Stewechio* interpretatas pro thorace, ſeu pectorali munimine, & *Caſſides* depoſuerant.

LXXII. Nudos idcircò gladiatores depugnaſſe, liquidò ex *Seneca* non apparet; & ex iis, quæ inferiùs ſubnectemus, contrarium immò ſuſpicari licet; ex *Ammiano* de *Perſis lib.*23. habetur, *pedites in ſpeciem myrmillonum contecti juſſa faciunt*, & denuò, *ſeque in modum myrmillonis operiens*, *hoſtium latera*, *quæ nudabat ira flagrantior*, *diſtrictis mucronibus perforabat*. De *Retiariis* verò teſtimonium exſtat apud *Juvenalem* in *Satyra*, alibi relata, tunicatos illos depugnaſſe: & proinde *Brittanicus* adnotat in verbo *tunica-*

nicati: tunica veſtimentum ſine manicis , quo utebatur Retiarii , ut fortè ad dimicandum eſſent aptiores .

LXXIII. Eandem notam , de qua fuſiùs quam par erat , egimus , cum explanare pergat accuratiſſimus *Commentarii* Auctor , *Nanum* in dicta nota comprehendi poſſe , demonſtrat , ex *Xiphilino* in *Domitiano* LXVII. 763., *Statio* in *Sylv.* 1. 6. 57. , & *Lipſio* , qui *Nanorum* gladiatorum II. *Satur.*4. imaginem dedit . At neſcimus profectò , num hæc gladiatorum conditio *Retiariis* conveniat , itaut *Æmilianus* in lapide deſcriptus, & *Retiarius* , & *Nanus* fuiſſet . *Numerarium* quoque dici poſſe , ait : prout erant milites cohortis , & præſertim ex illa nota , quæ præfixa legitur tribus gladiatorum nominibus , nempe 7. , quæ & *Libertum* deſignare poteſt , ut legitur apud *Urſatum* de *Notis Romanorum* . Ad Gladiatores deinde *notos* recurrit , ex eo potiſſimum , quod illos *Svetonius* commemorat : & ſane de *Notis* gladiatoribus *Statius* etiam in *Sylv. lib.*2. 5. *num.*25. , loquitur :

Magna tamen ſubiti tecum ſolatia leti
Victe feres , quod te mæſti , populuſque , Patreſque ,
Ceu notus caderes triſti gladiator arena ,
Ingemuere mori .

LXXIV. Si conjecturis demum uti licet , & *Decurias* omnes completas , ac integras , quis exoptaret , eandem notam , ſive literam N̄ , oſcitantia ſcalptorum , vel artis ruditate, quæ etiam in cenſum venit, collocatam fuiſſe in III. Decuria, dicere libentèr poſsumus. Et proindè, ſi cætera nomina, quæ in dicta III. Decuria inſimùl agglomerata leguntur, juxta rectiſſimam ejuſdem *Commentarii* Auctoris ſententiam ad IIII Decuriam revocanda ſint , meritò hæc nota N̄ inter illa nomina collocanda eſſet : ex eo quia tunc nomen *Nonii* , vel potius *Numerii* præferre poteſt . Novum ſanè haud eſt , ſub dicta nota *Numerium* quandoque expreſſum fuiſſe . *Vinandus Pighius* in *prænominum notis* poſt *Faſt. Magiſtrat. Roman.* illam ita exponit : *Pitiſcus* in *lexico* idem animadvertit, immò & omnem ſubmovet difficultatem , quæ oriri poſſit ex eo, quod prænomine *Numerii* ſola Familia patricia *Fabia* , ex *Val. Maximo* , uſa ſit ; nam ex illius verbis colligit, *Nu-*

me-

merium primùm prænomen, deinde gentis *Fabiæ* ex *Patriciis* tantùm proprium, & primò inter Patricios eo uſum *N. Fabium*, cum antea promiſcuum plebeis familiis eſſe potuerit: & eapropter in marmoribus *Capitolinis* legi, ait, *L. Sextius Sex. F. N. N. Sextin. Lateran.*, hoc eſt *Numerii* nepos, & apud *Ciceronem* pro *Cluentio cap. 7. Dinea Socrus, quæ filios habuit M. & Numerium Aurios*, de *orat.* I I I. 23. at *Numerius Furius noſter familiaris*.

LXXV. Ad alteram, quæ in Commentario ſequitur, Inſcriptionem, quæque ibidem gemina appellatur, ex eo fortaſſe, quod una ſimul cum priori, eodem in loco effoſa, in lucem venit, libentèr progredimur. Nam primùm omnium ſatis patet, ſi ea conjectura non improbetur, quod nempe alter hic lapis ad gladiatorum Silvani Collegium pertineat, *Familiam* gladiatorum, non Collegium, illorum ſocietatem appellari. Hinc legitur FELICI IMPERATORI OMNIA FELICIA SALVO COMMODO FELIX FAMILIA. Et ex iiſdem verbis apertiſſimè intelligitur, rationem *Marci* prænominis ex inſcriptionibus non adeò firmari poſſe, ut pro certo habeatur, illud ab eo aſſumptum fuiſſe, vel ante, vel poſt obitum Patris; cum non in omnibus lapidibus, vel numiſmatibus, eandem ſervatam eſſe regulam, cernamus. Qua de re *Reymarus ad Dionem vol. 2. pag.* 1203. *num.* 817. ait, *modò Lucius, modò Marcus, Aurelius Commodus inſcribitur in Nummis apud Mediobar. pag.* 240., *ſcilicet, ut obſervat Sponius, Recherches pag.* 236. *iidem Romani diverſis interdum prænominibus, & nominibus utebantur, ſic Geta, modo Lucius, modò Publius in Nummis, adnotante Froelich. Tentum. pag.* 281. Et præter nummos, idem de *Commodo* obſervatur in lapidariis monumentis, prout eſt illud, quod exſcripſit, priùs in *lib. 3.* de *Via Appia*, & noviſſimè in Diſſertatione de *Conſularibus Provinciæ Campaniæ, pag. 45. Franciſcus Maria Pratillius*, ob complura, quæ hactenus dedit, fœcundiſſimi ingenii ſui ſpecimina, in Republica Litteraria jam notiſſimus:

HER-

HERCVLI . VICTORI
AVG. SAC.
OB . MVNIF. INDVLG. PRINC.
L. AVRELI . COMMODI
IMP. AVG. GERM. COS. IIII. P. P.
L. ANNIVS . L. F. POMPE
IANVS . PROCOS. CAMPAN
PON. CVR

LXXVI. Ad reliqua tranſeamus .Ex eodem hoc noſtro lapide elicere etiam poteſt , qui id in animo habeat , *Manutii* ſententiam in *Orthographia*, de ſcribendo vocem *Felix* abſque diphthongo , integrè , & omninò probatam eſse; at fortaſſe res hæc ſatis protrita videtur . Animadvertit hic , pluries laudatus *Commentarii* Auctor , Familiam gladiatorum *Commodo* , ſibique , plaudere ob reſtitutionem , & dedicationem *Templi Silvani* ; & proinde verba illa , *Felici Imperatori omnia Felicia* , *ſalvo Commodo Felix Familia* , Acclamationum voces fuiſſe , cenſet; quod & comprobare conatur ex *Ferrario* præſertim , *de Adclamationibus* , & ex *Briſſonio* de *Formulis*. Nihilominus, acclamationum non modò , ſed etiam gratulationum voces , fuiſſe illas , quæ in lapide leguntur , ex eodem *Briſſonio* habetur : ait idcircò ille, *accedant* , *& gratulationum voces* , *quales ſunt hæ* , *quas, ubi Germanicum convaluiſſe Romæ percrebuit*, *a tota Civitate miſſas* , *Sveton. in Calig. cap.* VI. *refert*, ſalva Roma , ſalva Patria , ſalvus eſt Germanicus , *ſimiliterque Alexandro Severo poſt Victoriam Perſicam undique omnes acclamaſſe* , *ſalva Roma* , *quia ſalvus eſt Alexander* .

LXXVII. E' verbis , quæ deinde in lapide leguntur SILVANVM AVGVSTVM , intelligimus profectò , non *Collegium Silvani*, ut nonnulli opinantur, reſtitutum fuiſſe a *Commodi* Familia , ſive a gladiatorum Familia , ſed Templum Silvani , (ut ſuſpicatur quoque *Commentarii* Auctor , quamvis poſtremo deinde ſui operis loco mutatæ ſententiæ ſpecimen exhibeat) , vel Simulacrum, vel Aram: ex eo potiſſimum , quod *Auguſti* nomen ex ſua origine ſanctum , & conſecratum ſignificat , ut ex *Feſto* tradit *Philippus a Turre*

in

in Diſſertat. de Deo Beleno. Qui quidem Auctor refert *Ovidii* verſus *Faſtor. lib.* I. 609. & 610.

Sancta vocant Auguſta Patres, Auguſta vocantur
Templa Sacerdotum ritè dicata manu.

necnon *Svetonii* verba in *Oct. Caeſar. cap.* 7. quod *loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Auguſta dicantur, Dionis lib.* 52. *pag.* 507. *nam quae in bonore, atque cultu ſunt, ea Auguſta vocantur*. Accedit, quod apud Romanos elegans locutio illa in uſu fuit, qua dum *Templum, Aram, Delubrum* alicujus Numinis deſignare vellent, *Templum Aram &c.* reticentia quadam prætermitterent, numen ipſum tantummodo indicantes: *Martialis* VI. 64. 12., ut oſtenderet, *Palphurium Suram* domum habuiſſe, *Dianae Aventinae* Templo finitimam, ideoque aſpectum in Circum Maximum retinuiſſe, ait:

Quique videt propius magni certamina Circi,
Laudat Aventinae vicinus ſura Dianae.

In *Prudentio lib.* 2. *num.* 9. ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ legitur.

Haec ſola deerat gloria
Urbis togatae inſignibus:
Feritate capta gentium,
Domaret, ut ſpurcum Jovem.

Quod *Stephanus Chamillard* interpretatur, *laſcivi Jovis ſtatuam* comminuere: *Cicero* etiam, de *Natura Deorum lib.* I. *num.* 42., ait, omitto *Eleuſinam*, vel, ut alii legunt, *Eleuſinem ſanctam illam, & Auguſtam, ubi initiantur gentes orarum ultimae*, hoc eſt, juxta *Boubier*, in quo Athenienſes ſacra peragebant, & exteri fuerunt ad hujuſmodi Miniſteria initiati, ſive admiſſi. Et paſſim in Inſcriptionibus, quarum unam hic, a *Muratorio pag.* CXXXIII. *num.* I. tranſcriptam, ſubnectimus.

A. SA-

A. SATRIVS
VRBICVS
VEXILLARIVS
DOMO . FLORENTIA
SILVANVM
EX . VOTO . POSVIT

LXXVIII. Epitheton AVGVSTVM, integrè in marmore ſcalptum, & SILVANO tributum, aptiſſimum quidem eſt ad magis, magiſque comprobandam animadverſionem illam Clariſs. *Rivautella*, & *Ricolvi* in *Marmor. Taurinenſia*, qua edocemur, in omnibus titulis, in quibus alicui magno Deo inſcribitur ara cum illa compendiaria nota AVG., neminem dubitare, quin AVGVSTO legendum ſit; de *Silvano* verò non ita ſe rem habere, cum plerique, & quidem præſtantiſſimi viri, *Auguſti* legendum eſſe putant, nempe *Silvano Auguſti genio, cuſtodi, & patrono*: & a *Ferrario*, qui in opere de *Re Veſtiària* hujuſmodi lectioni aſsentitur, imperitos non rectè appellari eos, qui *Silvano Auguſto* legant, cum tamen, bona pace tanti viri, *Silvano Auguſto* legi poſſe compertum ſit.

LXXIX. Verbum RESTITVIT ſine ulla animadverſione prætereundum haud eſt. Nam Clariſsimus *Mazochius* nos admonet in *Cap*. 11. *de Amphitheatro Campano*, quod, *quamvis Reſtituere plus aliquanto in ſpeciem notare videatur, quam inſtaurare, tamen*, quantum perſpicit ille, *in vetuſtis titulis reſtituere ſine alio additamento renovationem, ſive tuitionem, aut ſarta tecta, ferè notat; nam cum aliquid amplius volebant ſignificare, tum a ſolo reſtituere, & interdum ab inchoato reſtituere .... dicebant*. Hinc intelligimus, renovationem tantum, vel tuitionem, a *Familia*, in lapide deſignata, factam fuiſſe Templi Silvani.

LXXX. Quæ ſequuntur verba DEDICANTE SEVERIANO MAXIMO, rectiſſimè in *Commentario* exponuntur, tum ex *Pitiſci* definitione, tum ex auctoritate ſummi viri, ac hiſce præſertim in rebus peritiſſimi *Mazochii*, cujus *Diatribam de Dedicationibus* in *Amphitheatro Campano* omninò videndam eſſe, ait. Qua de re innoteſcit, vocem *Dedicante* eandem eſſe, ac *encæniante* ex Græco verbo ἐγκαινίζειν; quod ſe-

ſequior latinitas *encæniare* dixit. Et re vera *Antonius Agellius* in *Pſalm*.xxix. *Cantici in Dedicatione Domus David*, ait, *ac primum quid ſit Dedicatio, quod non idem ſonat quod conſecratio, alioqui de profanis rebus non diceretur. Dicitur autem, ut in Deuteronomii cap*.xx. *de profanis domibus*; *Quis eſt, inquit Moyſes, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? quo in loco nihil aliud eſt dedicare domum, quàm initium in ea habitandi facere, quo die eam ſolemnibus epulis quaſi conſecrabant. Sic dedicatio altaris dicitur, cum primum ſuper eo ſacrificium offerri cæptum eſſet, quod etiam voce Græca ſignificatur*, τῦ ἐγκαινισμοῦ τῦ οἴκου, *de innovatione, ſeu de initiatione domus*. Non ideò tamen laudatus Clariſs. *Mazochius* negat, *dedicationem*, quæ plerumque in inſcriptionibus tantum pro ἐγκαινίοις adhibetur, *non rarò etiam pro conſecratione uſurpari, eo quod res eſſent conjunctiſſimæ, eoque unum pro altero poneretur*. Comprobat deinde *Commentarii* Auctor, *Commodum* fortaſſe *Severiano Maximo* dedicandi poteſtatem dediſſe: nam *Dedicationibus*, vel præerat ipſe Princeps, vel is, cui dedicandi poteſtatem dediſſet; quod ex *Ulpiano*, in *leg*.ix. *Dig. de Rerum diviſione*, ipſemet *Mazochius* in *Diatriba* de *Dedicationibus* aptiſſimè demonſtravit.

LXXXI. Interpretationis ordo modò nos deducit ad verba PROCVRANTE FELICITER ORDINI POTESTATIVM. *Procurare* idem eſt, ac *præeſſe*, ex *leg*.86. *Dig. de adquiren. & amitten. heredit*., & ſignificat etiam *expiare*, prout legitur in eodem *Commentario*; & ea de re *Giſanius* forſan in *obſervat: Latinæ Linguæ* ait, quod verbo *procurare in re divina utebantur Romani*. De voce *Feliciter* id quoque addere non piget, quod *Facciolatus* itidem adnotat, *vox erat in bonis ominationibus, & acclamationibus, familiaris, cujus rei exempla leges apud Ciceronem Att*.13. 22. *Juven*.2. *verſ*.119., *Sveton. in Claud. cap*.7. Occaſione deinde vocis ORDINI, & POTESTATIVM, *Commentarii* Auctor nobis proponit alternationem, quæ frequentiſſima in antiquis titulis eſt, litteræ E, & I, itaut veteres ſæpiſſime utebantur ablativo terminante in I. in aliquibus vocibus, & idcircò legendum eſſe, tradit, *Ordine* pro *Ordini*. Quoad verò genitivum pluralem in *ium*, prout eſt POTESTATIVM, *Varronis lib*.7.*de ling.latin*. teſtimonium exhibet. Sub voce tamen POTESTATIVM,

non Magiſtratum, ſed Miniſtros illius operis reſtituti, & dedicati, comprehendi potius, ſuſpicamur, addictos nempe ſervitiis ejuſdem operis: *Tertullianus* enim in *Scorpiaco* illos, qui cardinibus, foribus, & luminibus, præſidebant, *Carnem*, *Foculum*, & *Limentinum*, elegantèr appellat *poteſtates Janitrices*, & *poteſtates a Cancellis*, hoc eſt Miniſtros, qui hoſtia, & cancella, ſervabant.

LXXXII. ET CVLTIS DOCTORIBVS, ideſt *Laniſtis*, interpretatur *Commentarii* Auctor; idem legitur apud omnes peritiſſimos antiquitatis inveſtigatores. Et ſanè eidem accuratiſſimo Auctori ignotum haud erat, *Doctores* appellatos fuiſſe diſciplinarum, ac ſcientiarum non modò, verum & artium mechanicarum præceptores. Quod quidem, cum *Reineſius* in lapide *pag.*550. improbaverit, & pro *Doctor librarius* reponendum eſſe cenſuerit (*nimis temerariè ait Sponius Miſcellan. ſect.*VII.*art.*2.) *ſtructor librarius*, *eo quod inepta illa locutio videatur*, meritò, tam in *Miſcellan.* a *Sponio*, quam in *Differt.*43. *art.*3. *Antiquitat. Italic. medii ævi* a Cl. *Muratorio* objurgatur. Et quamvis è nonnullis inſcriptionibus habeamus *Doctores Thracum* gladiatorum, prout eſt illa apud *Fabrettum pag.* 189. *Doctores Mirmillonum*, ut in lapide *Muratorii pag.MMXIX.*, & in altero apud *Marangonium delle coſe Gentileſche pag.*469., reperto in Vinea *Nari*, extra Portam *Salariam*, ſub anno 174?.

A. POSTVMVS
A. COEMETVS
DOCTOR
MYRMILLON.

Attamen credendum haud eſt, *Doctorum* vocem peculiarem, vel propriam fuiſſe *Laniſtarum*: nam ex *Vegetio* habetur *lib.*1.*de Re Militari cap.*XV. quod, ad tirones, in ſagittis luſoriis diligentèr exercendos, *Doctores ad hanc rem Artifices eligendi*; & in lapide apud *Sponium*, laudato in loco, *Doctor Sagittarius*. Scenici quoque ſuos habuerunt Doctores, prout inferiùs dicendum erit.

LXXXIII. Noviſſima demum Inſcriptionis verba, MAXIME COMMODIANE ABIAS PROPITIVM CÆSA-

SAREM, ita exponuntur in *Commentario*, quod interea eidem *Commodiano Maximo*, *tanquam Collegii Patrono* gladiatores Cæſarem propitium unanimi voto adprecantur: qua de re verbum *abias* ibidem intelligendum eſſe, demonſtratur, ac *habeas*, addita aſpiratione, & littera *i* in *e* commutata, juxta *Popmam de uſu antiq. locut.* Quam immutationem eveniſſe, animadvertit etiam *Voſſius*, propter cognationem litterarum E & I.: & idcircò non dubitaverunt veteres, & *here*, & *heri* dicere, *mane* & *mani*, *veſpere*, & *veſperi*.

LXXXIV. Pro hujuſce laboris noſtri coronide aliam addere conjecturam duximus, quod nempe, cum nulla in lapide pateat gladiatorum mentio, inſcriptio hæc poſtrema, ex altera mox tranſcribenda a *Carol. Cæſar. Malvaſ. Marmor. Felſin. ſect.8. cap.*XI., potius pertinere videatur ad *Scenicos*, *Hiſtriones*, & *Pantomimos*.

M. AVRELIO : : : : : : LIBERTO
COMMODIANO . MAXIMO
PANTOMIMO . ET . HISTRION.
SCENICO . ANN. XI.
VIRIDIA . C. LIBERTA
MVSICA . COMMODIA
DONATA

Mentio enim hic fit *Marci Aurelii Liberti*, qui curam habuit reſtitutionis *Silvani Auguſti*; deeſt tantum *Euporan* & *Aug.* quod in prænotato interpunctionis ſpatio eſſe poterat: &, ſi revera deeſſet, nihil profectò intereſt, cum Romani non eandem, & conſtantem ſervaverunt retinendorum prænominum, & nominum rationem, ut ex *Sponio* in *les Recherches* patet. COMMODIANVS MAXIMVS idem prorſus eſt, ac ille, cui adprecatur in lapide, ut ei Cæſar propitius ſit. Hinc judicio eorum, qui hac in re peritiſſimi ſunt, libentèr relinquimus, ut dignoſcant, num ſpernenda, vel amplectenda hæc noſtra divinatio ſit. Erit fortaſſe, qui mentionem *Doctorum*, quæ noſtro in lapide exſtat, non parum recenſitæ conjecturæ obeſſe dijudicabit; ex eo quia ſub *Doctorum* nomine *Laniſtæ*, ſive gladiatorum Magiſtri, còmprehendantur; at facile nobis erit, reponere, Doctores quoque appellatos fuiſſe illos, qui fabulas

 ſcri-

Digitized by Google

ſcribebant, & actoribus ad diſcendum dabant, juxta *Donat.* in *Prolegom: ad Terentium*. Nec mirum eſt, quod in *Commodi* familia extiterint *Hiſtriones*: nam præterquamquod, ſervos hiſtriones apud Romanos extitiſſe, legitur, ut videre eſt apud *Pignorium* de *Operibus Servorum*, *Commodum* illorum etiam amantiſſimum fuiſſe, negari haud poteſt. Denique, ſi Auctoris *Commentarii* huc revocemus ſententiam, *Silvanum*, nempe, cultum fuiſſe ab omnibus Artificibus, cum ſub nomine Artificum hiſtriones veniſſe, ex *Ulpiano* præſertim legatur his verbis, *vel calculator ſit*, *vel hiſtrio*, *vel alterius voluptatis artifex*, & ex *Svetonio* in *Cæſar. cap.*84. *num.* 6. *ſcenici artifices* habeantur, *Silvanum* proinde ab iiſdem etiam cultum fuiſſe, affirmare quis jure poteſt.

LXXXV. Illa poſtrema lapidis verba, MAXIME COMMODIANE ABIAS PROPITIUM CÆSAREM, reſpiciunt quoque conſuetudinem illam, qua Romani, vel *Deos propitios* precabantur iis, a quibus beneficium acceperunt, vel *propitium Cæſarem*; & eò magis in rebus ludicris, ut patet ex *Epiſt.*v. *lib.*vi. *C. Plinii*, qui, dum refert contentiones, exortas inter *Celſum*, ejuſque nepotem, ex eo quod petebatur, legi *repetundarum* addere, reis, nempe, licere, teſtes denunciare, ait: *& nunc quaſi reconciliarent, componerentque, frequentius ſingulis, ambobus interdum, propitium Cæſarem, ut in ludicro aliquo precarentur*; quod *Catanæus* inter variorum notas exponit, *tanquam ſi ageretur aliqua res ludrica*, *ludrica autem ars*, *quæ ludi gratia*, *ſcenica*, *& hiſtrionica*.

LXXXVI. Et hic, ut contractis velis portum teneamus, ne quis credat, nos arbitrari, hiſce noſtris conjecturis, hactenus expoſitis, omninò deferendum eſſe, finem huic noſtræ Diſſertationi conſtituimus cum *Apollonii Tyaneii* reſponſo, quod, ut ex *Philoſtrato* in illius *vita lib.*4. *cap.*28. patet, iis, qui ſymbola ſimulacri *Milonis* explanare nitebantur, reddidit, *ego*, nempe, *ſapientiora eſſe cenſeo*, *quæ ſunt veriora*. Nam ſatis intelligimus, id verum omninò eſſe, quod Cl. *Lælius Taurellius* præſtantiſſimo viro *Vincentio Borghini* ſcripſit, *poſſe magis aliorum oppoſitiones ad incudem revocari*, *quàm certi aliquid ad cauſam*, *tantis antiquæ vetuſtatis tenebris obſitam*, *adferri*. Et ideo, cum

cum nihil tam commune ſit hominibus, quàm errare, & labi: idque eveniat potiſſimum in operibus philologicis, ubi ſolo ſæpiſſimè conjecturarum præſidio veritas inquiritur; ſi quid non perfectum, probatumque tradiderimus, vel omninò prolapſi erimus, ne ſociemur cum iis, qui ſuo nimium fidunt ingenio, & cæterorum judicia auribus reſpuunt, animoque aſpernantur, eam libentiſſimè poſcimus veniam, quæ hiſce præcipuè in rebus petitur, daturque viciſſim.

FINIS.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus Jordani Archiep. Nicom. Viceſg.

APPROBATIO.

Diſſertationem a Clariſſimo Auctore Abb. Franciſco Antonio Vitale, Arianenſi, in binas Inſcriptiones, Commodi Imperatoris ætate poſitas, multo ſtudio elucubratam, legi juſſu Rm̃i Patris Thomæ Auguſtini Ricchinii Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri: eamque non ſolum contra Principes, bonoſve mores nihil continere reperii, verum & dignam arbitratus ſum, quæ in publicam lucem prodeat. Dabam ex Hoſpitio Apoſtolico VI. Kalendas Octobres MDCCLXII.

Philippus Bruni Scholarum Piarum.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Prædic. Sac. Pal. Ap. Mag.

INDEX

INDEX AUCTORUM
QUI IN OPERE LAUDANTUR.

A

AGellius Antonius.
Aldrovandus Ulyſſes.
Ammianus.
Apulejus.
Artemidorus.
Aſcenſius.
Aſconius.
A Turre Philippus.
Auguſtinius Antonius.
Aurelianus Cœlius.
Auſonius.

B

Baſnagius Samuel.
Beroaldus Philippus.
Borghini Vincentius.
Bouhier Joannes.
Brencmannus Henricus.
Briſſonius Barnabas.
Brittanicus Joannes.
Budæus Gulielmus.

C

Cangius.
Capitolinus.
Caſaubonus Iſaacus.
Catanæus Jo: Maria Cæſar.
Chamillard Stephanus.
Chronic. Alexandrin.
Cicero.
Claudianus.
Coraſius Joannes.
Cuperus Gisbertus.

D

Dion Caſſius.
Donatus Ælius.

E

Euſtathius.

F

Fabrettus Raphael.
Fabrus Baſilius Soranus.
Facciolati Jacobus.
Ferrarius Octavius.
Feſtus.
Florus.

G

Galenus.
Galliachus Nicolaus.
Gellius.
Giphanius Hubertus.
Gorius Antonius Franciſcus.
Gonzalez de Sales Joſ. Antonius.
Gothofredus Dionyſius.
Gronovius Joan. Fridericus.
Gruterus Janus.
Gutherius Jacobus.

H

Heineccius Jo: Gottlieb.
Horatius.

I

de Jordan Joannes Chriſtophorus.
Iſidorus.
Juvenalis.

L

Lampridius.
Leges nonnullæ Codicis, & Digeſtorum.
Lipſius Juſtus.

M

Maffejus Scipio.
Malvaſia Julius Cæſar.
M. A. V. N.
Manilius.
Manutius Aldus.
Maturantius Franciſcus.
Marangonius Joannes.
Marmora Oxonienſia.
Martialis.
Mazochius Alexius Symmachus.
Medio-

Mediobarbus Franciſcus.
Memoriæ Trevoltinæ.
Dù Mont Joannes.
Montfauconius Bernardus.
Mortier Nicolaus.
Muratorius Ludovicus Antonius.
Muſeum Capitolinum.
Etruſcum.
Farneſianum.
Florentinum.
Odeſcalchum.
Piſanum, olim Corrarium.
Veronenſe.
N
Navius Paulus.
Nieupoort.
O
Obſervationes Rei litterariæ, edit. Veronæ 1739.
Oppianus.
Ovidius.
P
Pandectarum Codex.
Pancirolus Guidus.
Panegyr. incerti auctoris.
Paulus Juriſconſultus.
Pedruſi Paulus.
Petavius Dionyſius.
Petronius.
Philoſtratus.
Pighius Stephanus Vinandus.
Pignorius Laurentius.
Piraneſius Jo:Baptiſta.
Pithœus Petrus.
Pitiſcus Samuel.
Plautus.
Plinius Secundus.
Polenus Joannes.
Popma Auſonius.
Ptolemæus Franciſcus.
Pratillius Franciſcus Maria.
Prudentius.
Q
Quintilianus.
R
Reimarus Hermannus Samuel.
Reineſius Thomas.
Ricolvi Joh. Paulus.
Rivautella Antonius.
Roſinus Joannes.
S
Salmaſius Claudius.
Scaliger Joſephus.
& Julius Cæſar.
Schefferus Johannes.
Scholiaſtes Juvenalis.
Scutillus Dominicus.
Seneca.
Sigonius Carolus.
Sponius Jacobus.
Statius Papinius.
Stewechius Godeſchal.
Suetonius.
Symmachus Q. Aurelius.
T
Tacitus.
Taurellius Lælius.
Tertullianus.
Terentius.
Tortellius Joannes.
Trebellius Pollio.
Turnebus Adrianus.
V
Valboneſius.
Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.
Virgilius.
Vitruvius.
Voſſius Jo: Gerardus.
Urſatus Sertorius.
Ulpianus.
X
Xiphilinus.

INDEX RERUM.

A

Abias idem ac habeas pag. 74, & 75
Abias propitium Cæſarem, precatio Romanorum pro iis, à quibus Beneficia acceperunt. 76
Et potiſſimum in rebus Ludicris.
Acclamationum voces. 70
Achillis Milites Mirmidones dicti. 59
Adrienſes Etruſcorum Coloni. 58
Excellentes in pugna Retiariorum, & Secutorum.
Et forſan illius inventores.
Albarii Artifices qui. 28
Alfidia Familia. 28. 29
Ambubajarum Collegia. 34
Antiquis in rebus nihil certi affirmari poteſt. 16
Arena pro Amphitheatro. 22
Pro littore, ſeu portu
Pro foro.
Pro quocumque loco pugnæ.
Pro uſu agendi apud centumviros.
Arena è Grypta deferebatur in Amphitheatrum. 47
Arenaria quæ. 22
Arenæ fodiendæ ſervitus prædiorum ruſticorum. 28
Arenarii Artifices ab Arenato opere. 28
Arenarii dicti Venatores. 23. ad 25
Qui arenam deferebant in Amphitheatrum
Qui docebant elementa numerorum
Arenarii, loco arenæ foſſorum. 22
Arenarii non ſemper dicti gladiatores. 23. ad 25
Arenarii appellati qui contra feras pugnabant. . .
Arenarii cum Meretricibus collati. 24
Cum Lenonibus. 32
Arenarii, qui nempe in arena pugnabant, viliſſimum genus hominum, & collegio indignum. 34
Arenarius, vox ab Arena, in qua cum Beſtiis pugnabatur,

batur, tralatitiè deducta. 24
Pro gladiatore in lapidibus non occurrit. 26
Nec etiam apud priſcos Scriptores. 27
Artifices in Spectaculis qui fuerint. 37
Artifices Scenici. 75
Artifex quid ſignificet. 37. & 38.
Aſſidarius, vide *Eſſedarius*.
Auctorati qui fuerint 63
AUGUST, compendiariè in lapidibus ſculptum, quomodo explicandum. 72
Auguſti nomen ex ſua origine ſanctum, & conſecratum ſignificat. 70. & 71.
Aureoli qui. 62

B

Boryſtenes, quo Hadrianus inter venandum uſus fuit. 52
Boryſtenes gladiator Thrax veteranus.
Buſtuarii gladiatoris imago. 51

C

Collegia in Decurias diſtributa 47
Collegia illicita, Senatuſconſultis, & legibus ſublata. 35
Collegiorum nomine quæ veniebant.
Collegium Æſculapii. 37
Collegium Aurelianum quare dictum. 43
Larum. 20
Silvani idem cum Collegio Larum. 20
Collegium latrocinale apud Apulejem. 35
Commodi Imperatoris nequiſſima vita. 30
Commodus, Palus *non* Paulus *appellatus* 31
Hercules dictus, & in nummis Hercules Romæ Conditor. 36
Coloniam Commodianam Romam appellari juſſit.
Statuas accepit in Herculis habitu, eidemque immolatum ut Deo.
Hercules Jovis filius aliquando appellatus. 16
Auguſtus quando appellatus fuerit. 17. & 18
Marci prænomen quando aſſumpſerit. 16
Commodus vox quomodo ſcribenda, num cum duplici m, *vel cum una.* 19
Conſulatus Commodi cum Quintillo. 14

Con-

Conſulatus primus, ſecundus, tertius &c. quomodo in lapidibus, & nummis deſcribebatur. 83

Copula ET *an inter nomina duorum Conſulum ſcribebatur in ſeculo ſecundo.* 15

D

19

Decuria idem ac Decas.

Album aliquando & matriculam deſignavit. 47

Dedicare idem ac encœniare, *probatur ex expoſitione* Agellii *in* Pſalm. XXIX. *Cantici in* Dedicatione Domus David. 72. ad 73

Dedicare domum ex eodem Agellio *nihil aliud, quam initium in ea habitandi facere.*

Dedicatio Altaris, idem ac cum primum ſuper eo ſacrificium offerri cœptum ſit.

Dedicationis vox non rarò pro Conſecratione adhibita.

Dedicationibus præerat ipſe Princeps, vel is, cui dedicandi poteſtas ab eodem dabatur.

Diana Nemorenſis. 73

Doctor Librarius. 45

Sagittarius 74

Mirmillonum.

Doctores idem ac Laniſtæ. 59 60. & 74

Doctores appellati, qui fabulas actoribus ad diſcendum dabant. 74

Etiam artium mechanicarum præceptores. 75

Doctores Thracum.

Dymacharus gladiator idem ac Eſſedarius. 55

E

In i frequens Commutatio in inſcriptionibus & apud antiquos Scriptores.

Eſſedarius gladiator. 75

Eſſedarius an Aſſidarius ſcribebatur. 53. & 54

Eſſedarius vox Provinciarum Galliæ.

De Eſſedariis gladiatoribus Valboneſii *ſententia.* 55

Eſſedum quid.

Et, vide Copula et. 54

Etruſci a Græcis gladiatoria ſpectacula acceperunt. 48

In uſu habuerunt pugnam Retiariorum, & Secutorum. 58

F

Familiæ nomine Societas gladiatorum quare appellabatur. 36
Feliciter vox acclamationis, & bonæ ominationis. 73
Felix vox abſque diphtongo. 70
Fuſcina, & Culter, Armatura Retiariorum. 57

G

Genitivus pluralis, in ium *deſinens, uſitatus apud antiquos.* 73
Gladiatores addicti cultui Silvani Aureliani. 44
Gladiatores a locis, vel Tempore, & aliis de cauſis diſcriminati, veluti. 51
Samnites.
Pinnirapi.
Rudiarii.
Fiſcales.
Voluntarii:
Hoſtes bello capti.
Servi.
Nobiles.
Poſtulatitii. 42. & 50
Privati.
Catervarii
Meridiani.
Suppoſititii.
Buſtuarii.
Pegmares.
Legitimi. 51
Cubicularii;
Thraces. 52
Hoplomachi 53
Eſſedarii. 53. & 54
Secutores. 50. & 56
Retiarii. 56
Galli.
Provocatores. 60
Mirmillones. 58, & 59
Manicarii. 60
Nani. 68

Noti

Noti. 85
Veterani, & Tirones: 48
Gladiatores, Nudi an pugnaverint: 76. ad 67
Gladiatoria ſpectacula à quibus adinventa. 48
Quando à Romanis uſu recepta. 48. & 49
Eorumdem origo, & Cauſa.
Gladiatores viliſſimum genus hominum. 24
Scurris inferiores. 32
Gladiatores aliquando fuiſſe Equites, & Senatores, & qua de cauſa. 33
Gladiatores in leg. VI. Digeſt. de Jure Immunitatis *qui intelligantur.* 38
Gladiatores quare in Militia adhibiti. 39
Gladiatores dicti gladiorum fabri. 40
Gladiatores, vox uſurpata pro loco certaminis.
Pro Sicariis.
Pro iis, qui facile gladios in alios convertunt.
Gladiatorio animo, apud Terentium *in* Phormione *quid ſignificet.* 33
Gladiatoria Ars magnificata, ſed Artifices notati. 34
Gladiatorum mentio in libris de re militari veterum non extat. 40
Gratulationum voces. 70
Gryptarius qui. 47

H

HIſtoria Maximi exſtabat tempore Lampridii. 36
Hiſtriones. 35. & 76
Hoplomachia quæ 53
Hoplomachi gladiatores.

I

I Alterum in genitivis geminantibus ab antiquis contractum. 20
Initialis quid ſignificet. 41
Inſcriptio Lugdunenſis de Dymachero, ſive Aſſidario. 55. & 56
Inſcriptionis antiquæ conſcriptæ ſunt ſtilo ſimplici, & perſæpe idiotico. 27
Juppiter Vimineus. 45

L

LAr quid ſignificet. 45
Laniſtæ. 42

Legis

Legis VI. Dig. de Jure Immunitatis *interpretationes*. 38
Litteræ in ære, inter Antiquitates Herculanenſes repertæ, optimè efformatæ. 65

M

M Litteræ ductus ſine capitulis, vulgò Capitelli, *antiquitus fiebant*. 64
Mania quid. 61
Manicare.
Manicæ. 60
Manicarius idem ac inſignis. 62
Manicarii gladiatores. 60
Manus ideſt caterva. 61
Mannus equus.
Maximi hiſtoria. 36
Mazochii, & Monfauconii ſententia de voce Aſſidarius pro Eſſedarius in lapide Lugdunenſi. 56
Mirmidones qui. 59
Mormyris piſcis genus. 59
Myrmillones gladiatores unde dicti. 58. & 59
Myrmillonum Doctor. 59

N

N Romanorum nota quid ſignificet. 68
Nani gladiatores.
Neptuni arma. 58
Noti gladiatores. 68
Nudi an pugnabant gladiatores. 66. ad 67
Nudas cur ſculpſerunt Antiqui, Cæſarum, aliorumq., ſtatuas. 66
Nudus vox quid ſignificet. 67
Numerii prænomen promiſcuum Patriciis, & Plebeis Familiis. 69

O

ODryſæ, Thraciæ populi, efferati. 52

P

PAlus quid ſignificet. 31
Palus Secutorum, non Paulus appellatus Commodus.
Parma ſcutum, quo Thraces utebantur. 52
Patricii gladiatores perſonati incedebant. 49
Pegmata quæ fuerint. 64
Pegniares, ſive Pegmares gladiatores.

Pit-

Digitized by Google

Pittacus, *Pugnæ Retiariorum inventor*. 58
Poteſtas idem ac Miniſter. 73, & 74
Prænominum, & *Nominum ratio*, *non eadem a Romanis ſervata*. 75
Procurare idem ac præeſſe. 73
Idem ac expiare.
Propitium, vide *Abeas propitium*.
Provocatores gladiatores. 60
Pugna Retiariorum, & *Secutorum*, *antiqua*. 58

R

Reineſii ſententia de Silvano Caſſianorum refellitur. 44
Rerum ſine proprio nomine ingens eſt copia. 41
Retiarii gladiatores. 56. ad 58
Quibus armis pugnabant.
Committebantur cum gladiatoribus Gallis, *ſive Mirmillonibus*, *qui dicebantur Secutores*.
Retiariorum armatura. 57
Retiariorum, & *Secutorum pugna*, *antiqua apud Etruſcos*. 58

S

Sculptores ſæpe in Inſcriptionibus litteras commutarunt. 64.
Scenici Artifices. 76
Silvani nomen quare adjectum nomini Herculis & *Martis*. 44.
Silvani tres, *Agreſtis*, *Terminalis*, *Domeſticus*. 44
Silvani Templum Romæ, *quo in loco extabat*. 45
Silvani Templum & *Herculis conjunctum*.
Silvanum Auguſtum idem ac Templum Silvani. 70
Silvanus Domeſticus colebatur a Civibus Romanis, & *ab Imperatoribus*, *ut Lar*, *ſeu Genius*. 44. & 45
Nuncupatus etiam familiaris. 45
Silvanus Herculi conſociatus.
Silvanus cum Hercule & *Libero*. 46
Cum Jove Hammone.
Cum Mercurio.
Cum Mercurio, & *Sole*.
Cum Libero Patre.
Cum Jove, & *Hercule Genio Urbis*.
Silvanus Littoralis. 45
Silvanus quare dictus Aurelianus. 44
Lar Domus Auguſtæ M. Aurelii.

Silva-

Digitized by Google

Silvanus an idem ac Pan. 43
Quare ab Artificibus cultus. 44
Dominator totius ſubſtantiæ.
Sodales Larum 20
SP. *Nota Teſſeræ gladiatoriæ.* 65
SP. *in lapidibus quid ſignificet.* 65
Spectacula gladiatoria, a quibus adinventa, & quomodo à Romanis recepta. 48
Spectatus, & Spectator qui 65
Spoliarium, locus Arenæ proximus. 63
Svetonii locus in Caligula cap. 26. *a* Caſaubono *vindicatus.* 64

T

T*Ectorium Opus.* 27
Templum Silvani in Viminali, in Aventino, & in litore Tiberis. 45
Templum, Aram, Delubrum alicujus Numinis, quomodo eleganti locutione ab antiquis exprimebatur. 71
Thraces gladiatores. 52
Thraces populi. 52
Tracia dicta etiam Threce. 53
Thraces gladiatores dicti Æquimani. 53
Tiro vox, litterâ i, *non* y *ſcribenda.* 62
Tunica quid. 68

V

V*Albonefii de Eſſedariis gladiatoribus ſententia refellitur.* 55
Venatores, qui intelligantur in leg. 6. Dig. de Jure Immunitatis. 39
Victores gladiatores qui 63
Victoris gladiatoris imago in Muſeo Odeſcalcho.
Unco-thrahones qui 63
Unctores qui 62
Vulcani Malleus. 57


IMP·CAES·L·AVRELIO·
INITIALES
CVRATORES·M·AVRELIVS
DEC·I
BORYSTHENES·THR·VET
CLONIVS·HOPL·VET
CALLISTHENIS·THR·VET
ZOSIMVS·ESS·VET
PLVTION·ESS·VET
PERTINAX·RET·VET
CARPOPHORVS·MVR·VET
CRISPINVS·MVR·VET
PARDVS·PROV·VET
MILETVS·MVR·VET
FELICI·IMPERATORI·
SILVANVM·AVGVSTVM·
SEVERIANO·MAXIMO
POTESTATIVM
CVRANTE·MARCO·AVR
MAXIME·COMM

Digitized by Google